DIALOGUS SUPER TRIDENTINI CONCILII PROgreſſu & ſucceſſu, recenter editus.

AUTHORE M. VAlerio Philarcho.

COLL. S. BONAVENTURAE

BASILEAE.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

CANDIDO LECTORI S. P. D.

Qui ſubſequitur Dialogus, amande Lector, tam pulchra ſerie, tamq́ bona nimirum fide, Latinaq́ phraſi, Oecumenicæ Tridentinæ ſynodi, quæ in ore nunc eſt omnium, progreſſum & ſucceſſum, compendio perinde quodam, & quidem ſine omni cuiuſquam offenſa, perſtringit & explicat, ut is mihi dignus planè uiſus fuerit, ut ad tuendā tanti negotij ueritatē, quam pleriq; mendacij tenebris obſcurare moliti ſunt hactenus, opera noſtra paulo maturius in lucem prodiret: tibiq́ à me, tui certè ſtudioſiſſimo, ſub hunc nouum ineuntem annum, more paßim ſolito, Saturnalicij muneris loco mitteretur. Quem ut hilari fronte ſuſcipias, & æqui boniq́ conſulas, beneq́ ualeas, opto.

DIALOGVS SVPER TRIDENTINI CONCILIJ progreſſu & ſucceſſu, &c.

INTERLOCVTORES DVO, Didymus & Irenæus.

SALVE mi Irenæe. IREN. *Et tu mi Didyme ſalue: tuuſq; ſaluus, fœlix, & fauſtus utrique noſtrûm ſit aduentus. Ubi quæſo tantiſper delituiſti? curq; paulo, quàm putaram, ſerius aduenis? quid uſq; adeò te (inquam) remoratum eſt?* DID. *Abs te nuper diſcedẽs, illico patriam petij, quæ ad tam durum & longinquum iter in primis neceſſaria uidebantur,*

bantur, paraturus. Noſti enim ipſe, quàm fuerit uterque noſtrûm modis omnibus imparatus, quando uterque præter omnem utriuſq; noſtrûm opinionem, Tridentum ad Oecumenicum, iampridem à Paulo III. Pont. Max. nuper fœlicis recordationis demortuo, indictum & incœptum, ab hoc autē Iulio III. Pont. Max. ſubinde proſequendum, Concilium uocaretur: eóq; citra moram, rebus poſthabitis omnibus, proficiſci ſeriò iuberetur. Ad pacādas igitur ad hoc ipſum Conciliū res paulo magis neceſſarias, tribus ſanè diebus, totidemq́; noctibus, præter meam utiq; uoluntatem ſubſiſtere compulſus ſum: proindeq́; factū, ut ſerius quàm ipſemet exiſtimaram, aduenerim. Quanquam fuerit inſu-

per.

per, quod me pariter, quo tardior adplicuerim, remoratũ ſit aliud. IREN. *Quid?* DID. *Difficultas itineris. Ego enim incredibiles uiarum difficultates à noſtro digreſſu pertuli.* IREN. *Nunquid etiam aquarum inundatio tibi præpedimento fuit?* DID. *Minime: quandoquidem nihil, aut parum certè pluuiarum hoc toto, quo in itinere fui, tẽpore perſenſerim.* IREN. *Et unde tum tantas uiarum, quas adpellas, difficultates habuiſti?* DID. *Nimirũ à ſaxis & lapidibus, quibus pleræque omnes uiæ ſic paßim differtæ, quaſiq; conſtratæ fuerunt, ut nec eis qui uel à pedibus fuere, nec equis, maximè currum trahentibus, niſi ſumma cum difficultate peruiæ fuerint.* IREN. *Exaggeres, quas tu uiarum*

difficultates pertuliſti, prout uoles, eas tamen ego uel certe neq; tales, neque tantas illas, uel fermè nullas fuiſſe putauerim, ut cum meis, quas ego ſuſtinui, iure conferre poſsis. Siquidem in hac ipſa mea huc profectione, die duntaxat una ter in diſcrimine mortis ac uitæ cõſtitutus fuerim. DID. *Quamobrem?* IREN. *Ob horrendas in nullo non loco fluminum, fluuiorum, torrentium, amnium, idq; genus paſsim aquarum inundationes.* DID. *Unde tot, tantæq; aquarum inundationes, quas ipſe non ſenſi?* IREN. *Ex frequẽtiſsimis & dẽſiſsimis, præter tunc etiam fermè temporis naturam, pluuijs. Tribus enim totis diebus, totidẽq; noctibus, ita continuò, ruptis perinde cœli catarractis, pluit, ut ex omnibus*

paſsim

paſsim locis, montanis præſertim, tot tantæq; horrendo quodam impetu in uallibus, à montibus uidelicet ad montes confluxerint & concurrerint torrentes, fluuijq;, quò creditum ſit, indubiè fieri diluuium quoddam particulare. Hinc factum, ut coacta in unum flumina non uehementer minus quàm uiolenter fregerint pontes, & uniuerſa propemodum itinera lacerauerint & diſruperint: quorum deinde perquàm plurima multis in locis omnino reddita ſint & pedeſtribus & equeſtribus inuia. Spectaculum profecto uiſu tam planè ſtupendum & horrendum, quàm ualde, multifariamq; hominibus & eorum rebus ac ſubſtantijs nociuum. Ipſi enim torrentes, qui tamen, ut accolæ mihi retulerunt, ſæ-

penumerò tanta aquarum inopia laborare ſolent, ut penè areſcãt, ex montibus paſsim defluẽtes, & uolubili quodam impetu repẽtè aucti, & per multos anfractus citato curſu delati, & per ſcopuloſas ualles deuoluti, & ipſo impetu aucti, ſic ſpumantes in fauces irruebant, ut rupibus utrinq; in pereſum oſtium reductis, furientem curſum ſuſtinere nequiuerint: ipſiq; fluctus anguſto montium concurſu prohibiti, perinde indignati, præcluſo gurgite reprimi, ſibiq; exitum obſtrui, horribiliter tumuerint, inmurmurauerint, & quæ oppoſitæ fuere cautes, ſtrepitu fremuerint: quæ & deinceps, ſuperatis tandem obijcibus, tãta per clauſtra ui eruperint, & ex altis aquarũ montibus cum ſonitu in profundum

ſundum ceciderint, ut inde ruptis aggeribus, & quæ hominũ ingenio obiectæ fuerunt lapidũ moles, ad cohibendam undarum licentiam, deiectis, ijdem ipſi torrentes effuſi ſic debacchati ſint, ut ſtabula, tecta, molẽdina, pontesq́; uiolenter perfregerint: arboresq́; radicitus euulſas, ſecũ contra nos traxerint, armenta natauerint, ſata ruerint, quæ ſubinde arenarum cumulo cooperuerint & contexerint, ſubinuolutaq́; ſaxa & rotantia circũegerint: quæ ſub undis in ſe colliſa, raucũ, planeq́; terribilem ediderint ſonitum: & quacunq́; demũ rapti per agros, uiam ſibi fecerint, & longe ab alueis rura depopulati ſint: id quod ipſe oculis hiſce meis uidi, meisq́; hiſce aurib. haud ſine ſtupore audiui. DID. *Horrenda*

profectò iſthæc, uel auditu ſolùm, ſileo uiſu. IREN. *Cogita tu modò, Didyme mi, in quàm multis et uarijs ego cum rebus meis uniuerſis, tum periculis, in aquarum medio conſtitutus fuerim?* DID. *Cuiuſmodi deinde, quæſo, fuerunt itinera?* IREN. *Cuiuſmodi uix credas: ſiquidem fuerũt illa multis in locis aquarum impetu, uiolentiáq; ſic rupta, perfracta, & cõcauata, ut omnis propemodũ tranſitus fuerit nobis, maximeq́; currui, præcluſus.* DID. *Et quî tum trãſyſti?* IREN. *Auxilio meorum familiarium, & ruſticorum cõductitiorum ſubſidio, quæ paſſim fuerunt foſſæ & foramina, barathris inferorum non omnino diſsimilia, lapidibus, lignis, ſaxis, ceſpitibus, truncis, ſtipitibus, arborumq́; frondibus,*

bus, & id genus rebus alijs, ita oppleri, ponteſq; confractos & ſublatos refici curaui, ut tandem, quantumuis ægrè, nec abſq; magno & noſtro & equorum noſtrorũ labore, tranſierim. DID. *Et ita deinde ſuperaſti cunctas in itinere difficultates, & moleſtias uniuerſas?* IREN. *Non uniuerſas ſuperaui moleſtias eouſq;: ſed quæ mihi, meiſq; miniſtris adhuc non parum negotij faceſſebant, uiæ mirũ in modum ſaxoſæ & lapidoſæ, pulueresq; intento ſolis ardore ſuperfuerũt. Quãta enim fuerat antea nobis aquarũ abundantia paulo periculoſior, tanta ſubinde fuit nobis arenarum & puluerum ſuperfluitas paulo moleſtior.* DID. *Cur, obſecro, tua te ſponte tanto tam uitæ quàm mortis diſcrimini expoſuiſti,*

nec

nec donec, quæ recenſuiſti tam præſentia pericula, quadãtenus tranſijſſent, præſtolari uoluiſti? IREN. *Haud utique ullum ob quæſtum, nec ob ullam alicuius lucri ſpem, tãto me tot rerum diſcrimini expoſui: ſed iſthæc planè ſubire uolui, ut maiorũ meorũ, uelut debui, iuſſui, deſiderio, & nutui parêrem: & die mihi ab illis præſcripta, quæ fuit Auguſti nouiſſima, Tridenti, ad communem patriæ, imò totius orbis ſalutem, pacem & tranquillitatem, ſed in primis ad Dei Opt. Max. gloriam, cuius æquè cauſa agitur, in Oecumenico Concilio me ſiſterem, certoq; cõparerem.* DID. *Et quid quæſo tu de hoc ipſo Tridentino Concilio, deq; eius progreſſu pariter ac ſucceſſu ſentis?* IREN. *Quid ego ſentiam, non facile*

ciſe dixerim, quãdo planè dubius ſim. ſiquidem nõ omnia quæ Conciliorum ſunt Oecumenicorũ, inibi adeſſe: nec quomodo poſthac adſutura ſint, uideam. unde ſit, ut quidquid huius Tridẽtinæ eſt ſynodi, uel nõ legitimè progreſſurum, uel haud ſatis fœliciter ſucceſſurum, uel certè fruſtra diſpariturum & euaniturum, prorſus augurari cogar. DID. *Quam ob cauſam?* IREN. *Ob uarias ſanè cauſas, & eas quidem non omnino floccipendendas.* DID. *Earũ prima quæ eſt?* IREN. *Quòd neſciam, quî ſynodus hæc ipſa ritè dici poßit, ac eſſe Oecumenica, id eſt, Generalis & Uniuerſalis, quum uix decimam partem eorum qui adeſſe deberent nomine Uniuerſalis Eccleſiæ, quam re ipſa ſynodus Oecumenica*

nica repræſentare debet, nec per ſeipſos, nec per legitimos ſuos, aut legatos, aut Commiſſarios, aut Mādatarios, aut Oratores, adeſſe Tridenti putem. Nam ubi adeſt Papa, Max. ille Pontif. S. D. N. Iulius III? DID. Num ſummus Pont. neceſſariò perſonaliter in Oecumenico Concilio comparere debet? IREN. Certè, cum caput ille eſſe Concilij, et ab eius autoritate ſumma penè rerum cōciliarium pendére perhibeatur, magnopere cōuenire putarem, ut eſſet ipſe coràm: & quidem maximè, ſi non procul à Concilij loco abeſſet: aut aliquod impedimentum ualde legitimū, quo commodè minus adeſſe poſſet, obſtaret. Impedimento autem legitimo ceſſante, nō equidem modò conducere, ſed & neceſſarium

fore

ſore crediderim, hac præſertim plena rerum omnium diſsidijs tempeſtate. Alioqui, ni fallor, nec Sylueſter, nec Gregorius, nec Nicolaus, nec alij Papæ quondã per ſeipſos Concilijs interfuiſſent, et præfuiſſent. DID. *Quid ſi ſuæ fortaſsis abſentiæ Papa cauſam planè legitimã haberet?* IREN. *Adeſſe tum poſſet per ſuos Legatos, ſiue Cardinales, illũ per omnia tam præſidendo quàm aſsidendo repræſentaturos.* DID. *Extat'ne huius rei exemplum?* IREN. *Utiq; quãdoquidem memoriæ proditũ ſit, Eccleſiæ fuiſſe quondam conſuetudinem, ut Rom. Pont. Concilijs, in remotioribus locis, & procul celebratis, non per ſe intereſſent, ſed ſuos legatos mitterent: quẽadmodum de Leone Papa, huius nominis*

minis primo, eodemq́ ſanctiſs. & doctiſs. legimus. Siquidem Concilijs ille Chalcedonenſi & Epheſino, niſi per legatos, haud interfuerit: ut ex hac quidem hiſtoria conijcimus, quæ teſtatur ipſum, quando à Theodoſio principe, & ipſius ſorore Pulchria admonitus, ut Epheſino Concilio ipſe quoq; interesſet, non ueniſſe, ſed ſuos illuc miſiſſe legatos, ſimulatq; ſuam principibus ambobus et Synodo excuſaſſe abſentiam: & ſcripſiſſe, ſibi, ut ueniret, rationem non permittere, nec ſcire ſe eius quidem rei ulla exempla præceſſiſſe: nec inſuper rerum tunc uertentium ratione͂ ferre, ut à tãtæ urbis populis, tam præſertim procul abeſſet. Ad quem etiam modum Paſchaſius legatus eundem ſuæ à Concilio Chalcedonenſi

donenſi abſentiæ excuſaſſe traditur. Sic enim ille ad patres Concilij loquitur: Notũ eſt huic Deo amabili Concilio, & ad beatiſſ. & apoſtolicũ Leonem ſacras eſſe literas deſtinatas, quatenus huic ſancto Concilio ſe præſentare dignaretur: ſed quoniam nec antiqua hoc tenuit conſuetudo, neq; generalis temporis neceſſitas permittere uidebatur, noſtram paruitatẽ huic ſancto Concilio pro ſe præſidere præcepit: ideoq; neceſſarium eſt, ea quæ in medium proferuntur, per noſtram interloquutionẽ diſceptari. Id quod pariformiter idẽ Leo, ad Martianum Imp. Chriſtianiſſ. ſcribẽs, teſtatur, inquiens: Nec me quoq; (ut uoluit ueſtra clementia) ab illo credatis abeſſe Concilio, quum in ijs fratribus, quos di- Leonis Epiſt. 41.

 rexi,

rexi, etiam mea ſit æſtimanda præſentia. Et idem ad ſynodū Chalcedonenſem ſcribens, inquit: Tamen in iјs fratribus, qui ab Apoſtolica ſede directi ſunt, me ſynodo ueſtra Paternitas exiſtimet præſidere: nec ſeiunctam à uobis præſentiam meam confidat, qui nunc in Vicariјs meis adſum. DID. *Poteſt autē ipſe Papa, quod ſuarum alioqui eſſet partium, per legatos agere, præſtareq́ʒ?* IREN. *Poteſt ſanè: quādoquidem iure caueatur, eum feciſſe, qui per alium fecit: ac æquè præſentem eſſe eum qui per legatos adeſt, atqʒ eum qui ipſe adeſt.* DID. *Deſideratur'ne in legatis fides, & (ut ita dixerim) idoneitas, & induſtria?* IR. *Dubio procul. delegari enim ſolent ac debēt iј legati, qui & ipſi idonei ſunt,*

qui

qui quæ ad eas ipſas res pertinere ui-dentur, deliberare, & quod commo dum fuerit, reſpondere poſsint. DID. *Nunquid hic Papa Iulius* III. *Pont. Max. ſuæ ab hac ipſa Tridẽtina ſyno do abſentiæ uerã queat & legitimam habere excuſationẽ?* IREN. *Haud dubium, quin ſuæ habeat abſentiæ ra tionem ſatis probabilẽ.* DID. *Quam?* IREN. *Eas ſanè habet rationes, quas Leo quondam, cuius paulo antè me-mini, habuit: aut fortè, ſicuti plures, ita prægnantiores.* DID. *Quæ ſunt illæ?* IREN. *In primis, quia ſenio iam cõfectus ſit ipſe, ut ad occaſum, quàm ad ortum, propius aſpiciat & tendat, utpote capularis, propemodumq; ſili-cernius. Addiderim, quia nec ipſe nunc ob præſentium rerum conditio-*

nem planè dubiã, periculoq́ plenam, propterq́ generalem dubij huius temporis neceſſitatem, citra magnam iacturam à tanta Urbe, ſiue potius Orbe, Rhoma uidelicet, mundi capite, patriaq́ olim omnium meritò appellata, maximè tam remotè ſita, abeſſe poſſit: cum modò nõ illinc procul mari terraq́, pluſquam horrendis bellorum præliorumq́ procellis & incendijs ferueant & ardeant omnia. Nónne, mi Didyme, ſuæ Iulius Rom. ille Pont. abſentiæ non cauſam minus habet, quàm excuſationem longè iuſtiſſimam? DID. *Certè non iniuſtam, ſi modò ſuos in Tridentina ſynodo legitimos uice ſua legatos, præſidentes, & aſſidentes habet.* IREN. *Indubiè habet.* DID. *Quo inibi legato utitur ipſe?*

IREN. Marcello Creſcentio, S. R. E. Cardinale, multis admodum nominibus laudatiſs. Siquidem uir ille ipſa etiam ſtatura ſui corporis, quæ prorſus egregia eſt illi, dotes animi multo præclariſſimas, tam ſpecioſe, tamq; grauiter præ ſe ferat, ut in eo probari uideatur, quod Poeta dudum concinuit, Gratior, inquiens, eſt pulchro ueniens è corpore uirtus. Ea quidem ille prudentia, doctrina, dexteritate, fortitudine, & animi magnitudine uiget, ac grauitate præcellit, ut mihi planè perſuaſerim, non parum multos illum ſui ordinis patres ac principes in omni uirtutum genere præclariſſimos, ſibi non tam adæquare, quàm multo ſuperare: poſſeq; eundem cum omni antiquitate, de uirtutum laudibus, iure quo-

dam contẽdere. DID. *Talis ſi eſt ille, qualẽ tu, cui meam fidem lubens obſtrinxerim, ipſum prædicas, haud eſt quo minus ego credã, per Iulium* III. *Pont. Max. quem nos Papã non dedecoroſo nomine adpellare conſueuimus, meritò fieri et agi in hàc ipſa Tridentina Synodo, quod iſthic per eius legatum Dn. Card. Marcellũ Creſcentiũ fit et agitur: ſi modò eius præſidentes & aſsidẽtes, quoad rerum natura permittit, ſimiles ſint.* IR. *Mehercle illius ipſi nõ diſsimiles.* DID. *Sed qui ſunt illi?* IR. *Dn. Sebaſtianus Archiepiſcopus Sipõtinus, & Dn. Aloiſius Lypomanus, Epiſcopus Veronẽſis: ſic ambo rerũ gerendarũ peritiſsimi, ſic ſummo ingenio & prudentia præditi, ſic conſilio & eruditione ſumma*

ma præclari, ſicq; auctoritate, gratia, humanitate, et in omni, maximè Theologiæ, Iuriſq; ſcientiarum & diſciplinarum & peritia & facultate præcellentes, ut arbitrer ipſum, cuius paulo antè memini, ſedis Apoſtolicæ, adeoq; Iulij Papæ III. Pont. Max. legatum, Marcellum dico Creſcẽtium Cardinalem, non potuiſſe illis ſibi præſidentes & aßidentes in hac ipſa Tridentina Synodo eligere, nec ipſum Max. Pont. dare ſelectiores: accedente præſertim, ſimulq; pari nimirum paſſu, ampliß. Principe, Dn. Chriſtophoro Madrutio, S.R.E.Ti.S. Cæſarij in Palatio, Presbytero Cardinale, Epiſcopo & Principe Tridentino, adminiſtratoreq; Brixinenſi digniß. & nunquam nec pro merito nec pro di-

gnitate ſatis laudato, nec ſatis unquã laudando. Eſt enim Præſul ille Tridẽtinus, idemq́ Princeps ſacri Rom. Imperij, familia nobiliſſ. clarus, maieſtate corporis admirãdus, ingenij magnitudine ſuſpiciendus, morũm graui tate cum ſingulari quadam ſuauitate coniuncta uenerandus, & in primis ueræ Religionis Zelo, numinis inſtar obſeruandus. Quid multa? quum ſit ille præter alias tam corporis quàm animi dotes, ob ſuam ſapientiam, magnificentiam, liberalitatem, eruditionem, munificentiam, uerus adeò princeps, ut iiſdem principibus ſuis uirtutibus, omnes fermè poſt ſe, longo nimirum interuallo, Principes etiam maximos reliquerit, nedum ſibi adæquauerit: qui præterea ſua facilitate, beneuo-

neuolentia, & beneficentia, pleroſque omnes, tam maximos, quàm minimos, & contemperato quidē ſuo ingenio, ſibi conciliauerit. Quantum uerò ille (quod equidē maximi duxerim) ingenio, quantum conſilio, quantum in dicendo ualeat, teſtimonio ſunt locupletiſsimo legationes illæ tam numero multæ, quàm magnitudine difficillimæ, quibus ſumma cum laude & gloria functus eſt. In quibus quidem legationibus ſupra modum præcellentibus, quantum præter alias diuinas illius uirtutes, in dicendo ualeat, argumento eſt, quòd ipſe ſua uehementia, concitata oratione, dictionis fortitudine, multū ſanè nerui, ſuauitatisq; plurimum habentis, ipſum Periclem fulgurantem, aut Demoſthenis beluam

diuino ore intonantem, uel hac una permaxima etiã laude ſuperet, quia dicendi uirtute rudes quoque animos ſuadẽdo permoueat. DID. *Eſt igitur, quare Iulius Pont. Max. optãte, non tantum conſentiente legato Opt. Dn. Card. Marcello Creſcentio, in Tridentina Synodo ipſa aſsidente Legato, & præſidentibus uti collegam longè commodiſs. adſciuerit Card. illũ Madrutium.* IREN. *Eſt utiq; cauſa hæc facilè prima, quum Prælatus, ideq; tantus ſacerdotum Princeps, ad hanc ſit prouinciam longè grauiſsimam delectus: quum ipſa Synodus, ſi uel de bello, uel de pace, uel de religione, uel de concordia quarumcunq; cõtrouerſiarum, deq; genus id rebus conciliaribus alijs deliberandum ſit, grauiorem &*

aptiorem

aptiorem uix habere alium poſſit: utpote qui in negotijs laborare, in periculis fortiter facere, grauiter agere, celeriter cõficere, cõſilio deniq; prouidere perquàm opportuniſſimè ualeat. Porrò non eſt huius nec temporis, nec loci, nec mei propoſiti, nec inſtituti, pluribus dicere de promeritis laudũ præconijs tãti Principis, cuius uirtuti par oratio inueniri nulla queat. DID. *Sed quid, mi Irenæe, de Rom. Imp. & Rom. Rege, deq; cæteris Chriſtiani orbis Regibus, Potentatibus, & Principibus exiſtimas? an Concilijs Oecumenicis intereſſe poſſint?* IREN. *Quid ni? Debent nonnulli intereſſe, ſi poſſunt: nonnulli, ſi uolunt. In primis enim Concilijs Oecumenicis uocari, intereſſeq; debent Cardinales, Patriar-*

chæ,

cha, Archiepiſcopi, Epiſcopi, nonnulliq́ Abbates & Præpoſiti, & id genus alij Prælati Eccleſiaſtici, ijdemq́ Clerici: quos hactenus ipſis interfuiſſe Concilijs, teſtantur annales & hiſtoriæ. Deinceps poterunt eiſdem Concilijs intereſſe etiã laici: nempe Imperatores, Cæſares, Reges, idq́ genus Principes, Poteſtates, & Satrapæ. DID. *Ad quid?* IREN. *Non ut de cauſis fidei, Religionis, & Eccleſiarum cognoſcant, aut decernãt, aut definiant: ſed ut uel conſultent, uel doceant, uel diſcant: uel ea quæ legitimè decreta fuerint, ipſi opere exequantur, ſacroſanctæq́ Religionis & fidei iura conſeruent & defendant: faciantq́ ſua nimirum auctoritate, ut res in Concilio geſtæ & definitæ (& quidem hac*

maximè

maximè tempeſtate, qua poteſtas Ecclesiaſtica deſpectui habetur, & conculcatur) à laicis æquè atq; à clericis & libentius & plenius acceptentur. Haſce quidē ob cauſas memoriæ proditum eſt, Concilijs interfuiſſe quondam Carolum Francorum Regem, Conſtantinum, Gratianum, Theodoſium, Martianum, Sigiſmundum, Fridericum III. hocq; genus alios Imperatores, Reges, & Potentatus Chriſtianos. Atq; utinam Concilio nunc adeſſent eiuſmodi Reges & Imperatores: eheu quàm ego uehementer illos in hoc ipſo Concilio deſiderauerim. DID. *Cur, quæſo, tātopere illos in hac Synodo deſideras?* IREN. *Quòd eos extremæ huius nouiſsimi temporis circunſtantiæ, conditiones, & neceſsita-*

tes

tes uſqueadeò exigere uideantur, ut il li modis omnibus ab ipſa Synodo, ut ſi bi adeſſe uellent coràm, inuitari, uoca ri, cogiq́ deberent. DID. *Ut ſint, quemadmodum loquuntur, uocales?* IREN. *Minimè: niſi Synodus hoc eis honoris, aut alterius rei gratia conce- dere uellet.* DID. *Et quales tum?* IREN. *Ut ipſi tanquam (& præſer- tim Rom. Imp.) catholicæ Eccleſiæ, adeoq́ ſacri Concilij protectores, defen ſores, & aduocati, Eccleſiæ & Conci lio adſiſterẽt: hoc ipſumq́ protegerẽt, defenderent, ac promouerent: aliosq́ Chriſtianos, maximeq́ ſuos ſubditos, exemplo ſuo docerent: & ad obedien tiam, reuerentiamq́ Eccleſiæ & Con cilij placitis & decretis exhibendam, pellicerent: & in obedire nolentes*

animad-

animaduerterent, ad ſatisfaciendum Regi regum, & Domino dominantium, ad eos dicenti: Nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, &c. DID. *Exiſtimas'ne poſſe illos hoc ipſum præſtare?* IREN. *Exiſtimo ſanè, poſſe ipſos, Domino ſupremo eis aſſiſtente, qui gladium hac de cauſa commiſit illis, ut ſui ſint miniſtri, uindices in iram eis qui malè agūt. Atque hanc ego ob cauſam crediderim, Principes quandoque prophanos intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenere: quo per eandem traditam ſibi à Deo poteſtatem, diſciplinā Eccleſiaſticam muniant, perque diſciplinæ terrorem imperent, quod ſacerdotes & Epiſcopi per*

doctrinæ ſermonē efficere nequeunt. Solet enim ſæpenumerò cæleſte regnum per terrenum proficere: quum qui intra Eccleſiam exiſtētes, aduerſum fidem & diſciplinam agunt, Regum & Principum rigore cōterreantur & cohercea̅tur. DID. *Tu iſthuc modò reris operæprecium fieri?* IR. *Maximè, & uſqueadeò nimirū maximè, ut omnino uerear, niſi Synodus hæc Tridentina hoc ſolido, hoc immobili fundamento, hoc efficaciq; ſit uſura antidoto, & interuentura ſit Imp. Regum, aliorumq; Chriſtianorū Principum & Potētatuum authoritas et protectio, parum ſit ipſa, uel fortaßis omnino nihil nec decoris, nec obedientiæ, nec maieſtatis adſequutura ſimplex illa, eadēq; puſilla Epiſcoporum conuen-*

conuentio: quinimò totus hic conuentus in deriſionem malorum abiturus ſit: aut certè tum, ſathana inſtigante, cooperatura ſit proterua iſta hæreticorum & ſchiſmaticorum malignitas, & maligna omnium temeritas, quo minus hæc ipſa Synodus ſuum ſit nec progreſſum nec ſucceſſum felicem habitura. DID: *Quid obſecro cauſæ eſt, quo minus illi huic pluſquàm neceſſariæ Synodo non interſunt?* IR. *Rem quæris, cuius reſponſio nec odio nec periculo caret.* DID. *Et quare?* IREN. *Quoniam exigit ueritatem, quæ odij plurimũ, obſequij uerò perquàm minimũ pariat.* DID. *Tu'ne ob id haud reſpõdebis?* IREN. *Haud quaquam: ſiquidẽ reſpondeo, eorum abſentiæ cauſas perquàm plurimas*

 eſſe.

eſſe. Sed quando eas Fridericus ille Nauſea, Viennenſis Epiſcopus, qui Synodo pariter intereſt Tridentinæ, in ſuo de rebus Conciliaribus lib. ſatis copioſè ueraciterq́ recenſuiſſe perhibetur, haud eſt, ut hoc ſanè loco plures quàm duntaxat unicam redditurus ſim. DID. *Iſthæc qualis eſt?* IR. *Talis, qualẽ non eſſe, multo mallem. Illorũ enim abſentiæ cauſam fore aũguror, huius Synodi progreſſum non modò remoraturam, ſed deniq́ nullo etiam eam cum fructu reſoluturam eſſe.* DID. *Quod ne fiat, Deus Opt. auertat.* IREN. *Atque utinam ille Princeps pacis, & in prælio potens, auerteret.* DID. *At quæ tandem illorum abſentiæ (ut aliquando dicendi finem faciamus) cauſa?* IREN.

Horren-

Horrenda paſsim bellorum & præliorum incendia, quæ tam externa, quàm inteſtina, & quidem magis inter potentiora orbis Chriſtiani capita, quàm inter medioximos & infimos ordines, uſq; adeò rurſus ardere, coaleſcereq; in nullo non loco incipiũt, ut putem eos, quorum intereſt, niſi ſummo cum periculo conuenire non poſſe: aut conuenientes, diu manſuros non eſſe, quum quiſq; ſua domi contra hoſtes curare habeat. DID. *Quid ais?* IREN. *Ita ſanè uel inuitus aio: nempe præter alia non quidẽ parum multa, quæ uel maximè Imp. Carolum, & Cæſarem Ferdinandum primum, unà cum cæteris orbis Chriſtiani ſtatibus & potẽtatibus, ne ipſi huc ueniant, retinent, eſſe in culpa diſcor-*

 dias,

dias, diſſenſiones, ſimultatesq; Chriſtianorum Principum, et inter eos potentatuum quidem longè maximorum, utpote Caroli v. Imp. & Galliæ Regis multo pernicioſiſſ. Siquidem oppugnetur modò foris, multo quàm antea crudelius, Eccleſia catholica, ab omnium truculentiſſimo potentiſſimoq; Chriſtiani nominis hoſte: diſſidentq; ſicut dixi, intus, Reipub. principes, & in mutuam armati perniciem, cruentiſſimis odijs inter ſe conflictantur & digladiantur: & in fraterna uiſcera ferrum ita ſtringũt, paſſimq; graſſantur, ut nemo facilè poſthac, adpropinquante præſertim uerno tempore, tutò ad hanc Synodum ueniendi commiſſurus itineri ſit ſe. Addiderim, nunc non eſſe ſolũ ſuſpicionẽ periculi,

quod

quod à Turcis, & ab ipſius (malum) cōfœderatis & coniuratis cōplicibus, toti Chriſtiano orbi, maximeq́; Italiæ, Hungariæ, Boemiæ, Auſtriæ, Poloniæ, Sileſiæ, Morauiæ, adeoq́; uniuerſæ Germaniæ ſic imminet, & præ foribus adeſt longè maximum, ut niſi à Deo ipſo clemētiſsimo de cœlo quoddam ueniat inſperatum auxilium, certò de hac actum uereor fore Synodo. DID. *Atq; profecto credi quod præſagis & ominaris, omnino par eſt. quum enim à ſeipſis tam crudeliter diſsident, interq́; ſe tam funeſte belligerantur, qui uel medio Concilio Oecumenico bella ſopire, ſedare, pacemq́; procurare deberent: haud uideo, quî poſsit hæc Tridētina Synodus fauſtum habere uel progreſſum, uel ſucceſſum:*

ſum: & quidem maximè, quia conſtet, Concilia hac de re potiſsimè fuiſſe quondā coacta, ut in ipſis agere, quæ multis hominibus pijs, pacificis, doctis, prudentibus, & rerum cauſarumq́ omnium peritiſsimis, et in ſpiritu præſertim ſancto congregatis, abundare ſoleant, ageretur, cōſultaretur, & deliberaretur, de modo & ordine prouidendi contra Sarracænos, Turcas, & id genus alios infideles, fidem & Chriſtianiſmum uniuerſum impūgnātes, contraq́ Eccleſiam multis omnino modis inſurgētes: itemq́ ut ageretur de modo prouidēdi circa Græcos, Boemos, & hoc genus alios & ſchiſmaticos & hæreticos, uti uidelicet illi poſſint aliqua uia & ratione ad Eccleſiæ catholicæ unitatē reduci. IREN. *Idipſum*

Idipſum ut in hac Synodo Tridentina fiat, tantum abeſt ut credam, ut putem contrarium potius agi & fieri. DID. *Meliora uerba quæſo, pauloq; melius uaticinare.* IREN. *Meliora nequeo: quandoquidem naſutus odoror non parum multos eſſe, & eos quidem præcipuos, qui ne ſuum, uel nullũ Synodus hæc progreſſum, uel eum fore tardiſsimum, habitura ſit, mille modis ſtudeant, ac conentur, ex compoſitoq; huius progreſſum prorogant. Verùm iubet hic Plato quieſcere, nec conducit os in cœlum ponere, nec in ipſum expuere: quum quidquid in illud expuitur, decidat oportet in expuentis faciem. Tu uerò Didyme, ſi hac de re fuſius audire uolueris, fac legas Nauſeam in opere rerum Concilia-*

 rium.

rium. Atq; ſic habes mi Didyme, primam ſanè cauſam, ob quam ego de toto huius Concilij exitu, rerum mihi potius timeam, quàm confidam, perditurus, ubi diutius hic immorati ſimus, unà cum cæteris (uti plurimum uereor) nobile tempus, cuius iacturam cenſeo eſſe omnium longè maximam, adeoq; oleum & operã omnem: præſertim cũ cauſa ſuccedat altera, quæ huic Synodo ſatagenti, præter rationem eſſe diciq; Oecumenica, id eſt Uniuerſalis, etiam in hoc, quo nunc eſt, ſtatu, quadantenus progreſſuræ plus auctoritatis abrogat, quàm roboris ſubminiſtrat. Quæ, qualis'ue hæc ipſa ſit cauſa, ſequenti colloquio paucis commonſtrabo.

SECUN-

SECVNDA DIAlogi interloquutio.

INTERLOQVVTORES,
Irenæus & Didymus.

IREN. Quid ſentiam Didyme, quod ſcire deſideraſti, de huius Tridentinæ Synodi progreſſu & ſucceſſu, fortaſſe quàm par ſit, prolixius oſtendi: nempe quia exiſtimem ipſam uel non legitimè progreſſurã, uel certè parum fœliciter fructuoſéq; ſucceſſuram: cauſamq; huiuſce meæ ſententiæ eſſe adſerui, uaria horrendáq; in toto paſſim Chriſtiano orbe, bellorum & præliorum tam externorum quàm inteſtinorum pernicioſiſſimorum incendia: quibus fieri ſolet, ut nõ modò ad hanc Synodum Potentatus ipſi, ſiue Monarchæ, quorum tamen ibi præſentia

propter tam multas, tamq; arduas controuerſias, opus eſſe ſummopere cenſuerim, uenire non poſsint, nec facilè uenturi ſint: uerùm etiam, quando ſint itinera locis in omnibus infeſta, nec Epiſcopi, nec alij Prælati, præter admodum paucos, aduenturi ſint, & illi minoris quidem reputationis & authoritatis: quemadmodum argumento eſt, quòd adhuc pauciſsimi in hac Synodo comparuerint, quum perquàm plurimi aduentaturi, ſed omnino fruſtra ſperati ſint. Unde cauſa ſuccedit altera, qua præſagire ſoleo; hanc Tridentìnam ſynodum niſi ſumma cum difficultate progreſſurā non eſſe, ſed peſſum prorſus ituram, & nihil quod ipſa decreuerit, ſeruatū iri. DID. *Qua de cauſa?* IREN. *Quòd haud*

haud talis ea ſit ſynodus, qualem fore promiſerit, paſſimq́ diuulgauerit Potif. Max. DID. *Quid ille pollicitus eſt?* IREN. *Oecumenicam, id eſt, uniuerſalem ſynodum.* DID. *Nónne ſynodus hæc Tridentina, Uniuerſalis eſt?* IREN. *Sunt qui negant, eam in eo, quo nunc eſt, ſtatu, eſſe Oecumenicã.* DID. *Quid audio? quur inficias eunt?* IREN. *Quia non ſit, qualis Oecumenica ſynodus eſſe debet, iuxta uim uocabuli Oecumenici. Eſt enim Oecumenicum, idem quod uniuerſale. Oecumenicum proinde Concilium, eſt Uniuerſale Concilium: ſic adpellari cœptum, quia negotium, quo de in eo ipſo Concilio agendũ eſt, ita generale ſit, ac uniuerſale, ut in uniuerſum omnes & uniuerſos concernat*

nat Chriſtianos. Cuiuſmodi negotium eſſe diciq́ putant, non modò negotium Chriſtianæ Reip. quo ad uniuerſas & ſingulas uniuerſorum & ſingulorum hominum controuerſias, negotium concernẽs. D I D. *Hinc fortaßis aiunt Oecumenico Concilio Uniuerſalẽ Ecclesiam repræſentari?* I R E N. *Hinc utiq́.* D I D. *Subſequens igitur erit, ut ad Concilium eiuſmodi, quod Oecumenicum & Uniuerſale nuncupari poßit, ac debeat, conuocentur & interſint uniuerſi, quorum intereſt: ut quod uniuerſos tangit, ab uniuerſis probetur, aut improbetur.* I R E N. *Rectè nimirum ſentis. Operæ enim precium eſt, ut uniuerſi, quorum intereſt, ad id Concilij, quod eſſe debet Oecumenicum, uocẽtur, & in eo adſint.*

ſint. DID. *Qui ſunt, quorum intereſt, Concilio adeſſe?* IREN. *Si in ipſo Concilio de rebus duntaxat Eccleſiaſticis et ſpiritualibus, ut ſunt res fidei, religionis, & reformationis Eccleſiaſticæ, agendum, differendum, deliberandum, conſultandum, ſtatuendum fuerit, neceſſariò uocari, intereſſeq; debent, ex omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, Chriſtianis nationibus, Patriarchæ, Cardinales, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti, idq; genus Prælati principaliores, ut ita dixerim, cæteri, iuriſdictionem habentes. Sin autem in eo ipſo Concilio de rebus & cauſis tractandum, conſultandum, deliberandum, definiendumq; foret etiamnũ prophanis, uocare, intereſſeq; magnopere (ni fallor) profuerit*

rit Imperatorem & Regem Rom. reliquosq; Christianæ profeſsionis Reges, Duces, Marchiones, Comites, Regulos, Barones, hocq; genus Principes, Satrapas, Academias, quas Uniuerſitates uulgò nuncupāt, adeoq; reſpub. & communitates: quemadmodum uidere fuit in Concilio Conſtātiæ quondam habito, in quo fuiſſe traduntur Papæ, ijdemq; Pont. Max. Ioannes XXIII. deinde Martinus V. Sigiſmundus Imp. Cardinales Epiſcopi V. Cardinales Presbyteri XVI. Cardinales Diaconi VII. Patriarchæ II. Ioannes uidelicet Conſtantinopolitanus, & Ioannes Antiochenus: Archiepiſcopi XXXIIII. Epiſcopi CIIII. Abbates inſigniores: Generales IIII. Monachorū ordinū: Duces XXIIII.

Comites

Comites CLX. *Uniuerſitates, ſiue Academiæ tunc temporis floretiſſimæ, & quidem numero* XIIII. *utpote Pariſienſis ex Francia occidentali, Colonienſis ex Rheno, Viennenſis ex Auſtria, Haydelbergēſis ex Sueuia, Strigonienſis ex Hungaria, Pragenſis ex Bohemia, Aurelianenſis ex Gallia, Lundenſis ex Anglia, Erdfordienſis ex Turingia, Heldenburgenſis ex Germania, Aſſionēſis ſiue Arcionenſis ex Italia, Bononienſis ex Italia, Cracouienſis ex Polonia, Oxoninenſis ex Anglia, ubi Uuickleſſus hæreſiarcha lolium ſuum diſſeminauit primùm in Dominicum agrum, ſuumq; uirus euomuit. Item Reſpublicæ, ſiue communitates urbium, ciuitatumq; Germaniæ ſuperioris & inferioris,*

rioris, totiusq́ Italiæ: item nobilium & illuſtrium uirorũ tam Eccleſiaſticorum quàm laicorũ numerus penè innumerus. DID. *O quàm uiſu auditúq; iucundus, tamq́ maieſtate quàm auctoritate plenus eſſe poterat, tot, tamq́ præcellentium in omni doctrinarum genere uirorum conuentus?* IREN. *Nihil ſanè eodem conuentu, uiſu audituq́ iucũdius. Atq; utinam tam uiſu poſſit eſſe iucundus, maieſtateq́ plenus, ob Prælatorũ ſaltem multitudinem & magnitudinem, hic noſter conciliaris Tridentinus conuentus.* D I.D. *Quî fieri poſſit, ut talis tantaq́ eſſet hæc noſtra Synodus? & quî fieri poſſit unquam, ut omnes in uno quoq; Concilio etiam Oecumenico uel uocari, uel intereſſe poſſint, Epiſcopi*

ſaltem:

ſaltem: quando conſtet ex eo libro cui nomen Prouincialis, qui in Camera Apoſtolica conſeruatur, in uniuerſo Chriſtiano orbe ultra III. millia Epi ſcoporum reperiri. IREN. *Suffecerit arbitror, ut intercedentibus cauſis abſentiæ legitimis, loco non ſolum abſentium Epiſcoporum, ſed & laicorum Principum, & aliorum, adeſſe debentium, legitimi Legati, Oratores, Mandatarij, Procuratores, & Commiſſarij adſint. Quandoquidem hoc in caſu adeſſe cenſeantur, qui per alios adſunt, ut antea memini.* DID. *Si res ita habet, ſiq; eandem ego rem & huius circunſtantias mecum paulo curioſius repeto, nõ ſanè uideo, quomodo Synodus hæc Tridentina ſit, aut eſſe poßit unquam Synodus Oecume*

nica: cuiuſmodi tamen eſſe deberet, ob uniuerſales totius Reipub. Chriſtianæ, quæ toto nunc terrarũ orbe pluſquàm periculoſe uertuntur, controuerſias. IREN. *Qua de cauſa quæſo?* DID. *Quoniam pauciſsimos adhuc eorum quos tu paulo antè recenſuiſti, imò nec ipſorum Oratores, in hac Tridentina Synodo adeſſe uideo. Nam ubi Papa?* IREN. *Adeſt eius Legatus, & huius adſidentes, quorum paulo ſuperius memini.* DID. *Ubi uictorioſiſsimus ille, ſimulq́ Chriſtianiſs. Imp. Carolus V?* IR. *Nónne ſuos ille tres Oratores hic habet, uiros ſine controuerſia prudentiſs. grauiſs. doctiſs. & omni deniq́ commendatione digniſsimos?* DID. *Qui ſunt illi?* IR. *Dn. Hugo ex Comitib. à Mont-*

fort

ſort & Rotenfels, Dn. Ietinang & Argen. &c. facilè generoſiſſ. & Dn. Franciſcus à Toleto, Prior Monaſterij Reconuallenſis: & Dn. Guilelmus à Pictauia, Archidiaconus Campaniæ, &c. DID. *Ubi Ferdinandus Rom. Hungariæ, Bohemiæq́, &c. Rex, idemq́ Archidux Auſtriæ potentiſſ. & religioſiſſimus?* IREN. *Præſto ſunt eius Oratores haudquaquàm contemnendi, nec in ordinem quouis modo redigendi.* DID. *Qui ſunt illi?* IREN. *Dn. Paulus à Gregorianz, Epiſcopus Zagrabienſis in Hungaria digniſſ. idemq́ eruditiſſ. & Fridericus ille Nauſea, Epiſcopus Uiennenſis, Rom. &c. Regis à ſacris ſtudijs & conſilijs celebratiſſ. Quales verò illorum Legatorum et Oratorum*

principales, quos adpellant, ſuæ habeant abſentiæ cauſas, nempe pluſquàm legitimas, inde patet: niſi enim Monarchæ illi duo potentiſſ. ijdemq́; longè pientiſſ. ſui muneris non immemores, aliàs uel coacti abſentes, contra tam Turcas, totius Chriſtiani nominis & ſanguinis, & Crucis Domini noſtri Seruatoris hoſtes crudeliſſ. & Gallos iſtorum nullo nimirum iure confœderatos multo coniuratiſſimos, pro Chriſtiana Repub. tantopere uigilarent & depugnarent, impenſis quidem ſuis maximis, haud multò pòſt credere de Hungaria actum iri. DID. *Quid nobis & Concilio cum Hungaria?* IREN. *Plurimum ſanè. Tu profectò, ſicut mihi uidere uideor, non intelligis, quantæ ſit Turcæ, tyrannorum*

omnium

omnium quos unquam terra habuit impijſſ. & truculentiſſ. opportunitatis, regnum Hungariæ tenere, uel certè ad tutelam ſuarũ partium, uel ad ulteriora Chriſtianorum regna & dominia uexanda & occupãda. Quandoquidem potitus iſte regno Hungariæ, facilem deinde per plana atq; peruia habere poſſit in Germaniam decurſum: deinde in Galliã, in Italiam: poſtremò, nullis impedimentis interpoſitis, quæ impetũ eius remorari ualeant, longè ulterius eſſent proceſſuri, cum uix unum aut alterum flumen interlabatur. Occupata autẽ per Turcas & Gallos confœderatos Italia, prudens rerum exiſtimator haud difficilè conijcit, quo in ſtatu tandem Synodus ipſa Tridẽti ſit perſeueratura. DID.

Dij deæq; omnes tantũ auertant malum, pleriq; omnes precemur. Sed mi Irenæe (ut ad id quod propoſuimus, reuertamur) ubi Reges illi potentiſs. Galliæ ſcilicet, Angliæ, Schotiæ, Portugaliæ, Poloniæ, Daciæ, Daniæ, Noruegiæ, Schnotiæ, idq; genus ſi qui ſunt Reges, aut eorundem Oratores, quorum ne unum quidem in hac Synodo Tridentina conſpicio, tantiſper remorantur? ubi ſtatus & principatus Imperij & Germaniæ, adeoq; Venetiæ, & Heluetiæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & hoc genus alij Prælati, quorum ſanè potiſsimum nomine ſynodus hæc ipſa Tridẽtina, multis certè nominibus difficillima, & periculo pleniſsima, primùm indici, uocari, celebrari, aliquot hucuſq; annis conti-

cõtinuari et proſequi cœpta eſt, quam ipſi diu multumq́ cœptum celebratumq́ iri petierunt? Nunquid in eis quoq́ uerum ſit uerbum Chriſti Ieſu Opt. ſummæ nimirum ueritatis, alibi dicentis: Omnis qui agit malè, odit lucem, & non uenit ad lucem, ne arguantur opera eius, quoniam opera eius mala fuerunt? IREN. *Sunt ex eis qui ſe Tridenti ab Italis & Hiſpanis, in primisq́ Romanenſibus, aduerſarijs uidelicet ſuis planè capitalibus, haud fore tutos adſerunt: comparere aũt uelle perhibẽt in Concilio, quod in Germania celebrandũ fuerit.* DID. *Poſſent meò quidem iudicio Itali, Romanenſes, Hiſpani, et id genus reliqui catholici Doctores & Prælati, uerius & iuſtius quàm Proteſtantes Germa-*

 niæ,

niæ, locum recuſare: nempe quibus iſti non ſecus atq; cõiuratiſsimi hoſtes, crudele iampridẽ bellum indixerunt: ijdemq́; ipſi bellum re ipſa multoties, et miris ſanè technis, dolis, fraudibus, nulloq́; non genere ſtratagematum ſatis truculenter adtentarunt. Nec te quidem fugit, Irenæe mi, quàm truculentæ, cum Spiræ, Vormaciæ, Ratiſpone, et aliàs de negotio Religionis, à Cæſare, Principibus, & Imperij Statib. agebatur, paſsim minæ contra Catholicos audiebantur. Nec inſuper te latet, quid anno hinc ſexto, ſcilicet initio Saxonici, ſeditioſiſsimiq́; contra Imp. & quoſcunque illius confœderatos, nulla præſtiti iuramenti ratione habita, belli, contra patres in hac ipſa Tridentina tum Synodo coadunatos, moliti ſint

iſti,

iſti, cum Clauſam illam, quam uocāt, in faucibus montium, et anguſtijs ual lium uerſus Tridentum, iamiam, non abſq; patriæ proditionis ſuſpicione, occupauerant: occupaturi non multo pòſt & ſecundam Clauſam, niſi prodi tio tempore quoque primo patuiſſet. Quid tum ſchiſmaticos deinceps fuiſſe facturos exiſtimas? IREN. *Indubiè putauerim ipſos fuiſſe trucidaturos, quoſcunq; tunc Tridēti in Concilio reperiſſent patres: nec deinde conquietu ros, ſed ultrà proceſſuros.* DID. *Quorſum ultrà?* IREN. *Probè ſapis: pluribus ut enarrem, non expedit.* DID. *Ergo rationem habent Papiſtæ (ſic enim ſchiſmatici probroſe ſoliti ſunt appellare eos, qui ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ, adeoq; Catholicæ Eccleſiæ*

conſtanter parent) quòd hactenus Concilium in Germania eſſe inſtituẽdum planè renuerint, utpote quòd nemo tum de controuerſijs Religionis & fidei tutò ſecureq́ pronũciare potuiſſet.

IREN. *Etſi non ignorem, ſchiſmaticos iſtos & ſectarios fermè omnes uſqueadeò Papiſtas, imò Papam ipſum, Cardinales, Epiſcopos, & totum Clerum tam diro perſequi odio, ut eos ad unum omnes extinctos uelint: haud tamen arbitror, Carolum Imp. longè potentiſs. fuiſſe permiſſurum tunc Patribus in Concilio iſthic congregatis, ullam ab iſtis aut uim aut iniuriam fieri, quippe qui iſtos ab iniurijs inferendis fortiter cohibuiſſet & cuſtodiuiſſet.* DID. *Quid cuſtodijſſet? quis obſecro cuſtodẽ cuſtodijſſet? quum ſibi,*

ſuæq́

ſuæq; ſaluti Imp. ipſe, quamlibet potentiſſ. haud ſine præſentiſſ. periculo conſulere, contraq; iſtos tueri ſe potuerit. IREN. *At ipſe uiciſſim non ignoras, quàm male ceſſerit iſtis ſua ipſorum proteruitas, inobedientia, temeritas, rebellio, ſuperbiaq; pluſquàm Gigantica & Nemrothica: è diuerſoq; quàm bene fœliciterq; Imperatori Carolo V. glorioſiſſ. ſua ceſſerit ipſius humilitas & ſynceritas heroica: ſiquidem qui, quàm antea, Deo Opt. Max. propitio, factus ſit multo uictorioſior, ideoq; glorioſior.* DID. *Atq; propterea ſtupore potius quàm admiratione dignũ cenſeo, quòd ne nunc quidem deſint, qui toties ab illo non ſine ignominioſiſſimo, & uix unquam abolendo ſuo, ſuorumq; detrimento, diſpendio, dedecoreq;*

coreq́ uicti, rurſus uincendi, perinde certò tandem futuri uictores, contra illum, receptis etiã (proh dedecus æternum, & anathemate expiandum) in ſubſidium perpetuis Chriſtiani nominis & ſanguinis hoſtibus, inſurgunt: quantumuis experti ſint, dubioq́ procul poſthac non abſq́ damno experientur, uidere nunc nolentes cõtra ſe pro illo pugnare eum qui Rex regum eſt, & Dominus dominantium: contra quem, teſte ſapientiſſ. Rege illo Salomone, non eſt, nec ſapientia, nec prudentia, nec conſilium: contra ſingulos iſtorum meritò nunc dicentem, Saule Saule, quid me perſequeris? durũ eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. I R. *Nónne putas iſtos etiamnum rectius mutuò monere ſe, ac de illo Opt. Imp.*

uero

uero Iſrahelita, in quo dolus haud eſt, inclamare debere: Fugiamus Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos? DID. *Quod ſi facerent iſti, certè nobis tantum de Concilio, quamlibet lentè feſtinante, negotium non faceſſerent, ut idem Conciliũ tandem, non ſine nunquã ſatis deploranda totius Reipub. Chriſtianæ iactura, peſſum prorſus ſit iturum, nec ullo pacto fœliciter progreſſurum, ne dicam fauſtiter ſucceſſurum.* IREN. *Demiror autẽ ego ſuprà quàm dici queat, non eſſe, qui inter illos mundi Monarchas, Principes & Potentatus, uices parteſq; ſuas interponant, eoſq; concordent & placẽt.* DID. *Subuereor (id quòd rectè ſis non dico demiraturus, ſed deteſtaturus potius) eos qui*

præſtare

præſtare id deberent, ac poſſent, ne in culpa ſint ipſimet, quo minus Reges et Principes, à ſe ipſis pernicioſe diſſidentes, in concordiam coeant, unanimesq́; mutuò reddantur: utpote qui non ſolum quandoq; faces ad bellorũ incendia ſuggerunt, uerùm etiam ipſi ſæpenumerò non ſine ſanguinis humani iactura belligerantur: non utiq; quo uitam uel dignitatem, ſed auaritiam & faſtum defendãt, & imperium ſuum temporale dilatent & protendant. IREN. *Atq; propterea autumauerim equidem, huius ſanctæ Oecumenicæ Synodi partiũ eſſe, ut in idipſum totis ipſa uiribus conniteretur.* DID. *Quid Oecumenicæ Synodi? quomodo dici poſſit, aut eſſe Synodus Oecumenica, non ſanè uideo, quum tot ad-*

huc

huc deſiderentur in hac Tridentina Synodo Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, hocq́ genus Prælati reliqui, & Academiæ. Cur huc haud dum ſe conferunt omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi Germaniæ? Nam etſi ſex illa contineat Archiepiſcopatus, Moguntinenſem ſcilicet, & Colonienſem, Treuerenſem, Saliſburgenſem, Magdenburgenſem, & Bremenſem (quorum quilibet adeò non parum multos, & eos quidem latiſsimos habeat Epiſcopatus, quos appellãt Suffragionatus, ut uel unus Archiepiſcopatus duodecim ſub ſe Suffragionarios, ſiue Subſidiarios, quos uocãt, Epiſcopatus cõplectatur:) tamen paucos adhuc in hac Tridentina Synodo conſpicis. IREN. *Quos?* DID.

Mogun-

Moguntinen. Treueren. Colonien. Vi ennen. Argentoraten. Conſtantien. Curien. Neuburgen. &c. I R. *Haud plures?* D I D. *Plures equidē neſcio, præter aliquot titulares Epiſcopos, officio ſuo Epiſcopali minus fungentes, ſed à ſuffragijs aliorum exiſtentes: unde ſuffraganeos appellāt iſtos, ſuos epiſcopatus in Turcia, uel Calachutia, uel alibi habentes.* I R E N. *Paucitas hæc mehercle Epiſcoporū Germaniæ, ſtupenda potius quàm admiranda eſt: quando contendant, Germaniam ultra quinquaginta Epiſcopatus, et eos quidem nec anguſtos, nec inopes habere.* D I D. *Sed quot ex omni natione Tridēti putas eſſe nunc Abbates? quot Præpoſitos? uel hoc genus Prælatos alios quot?* I R E N. *Equidem*

nullum

nullũ hic eſſe penitus arbitror. DID. *Quot ex omnibus orbis Chriſtiani prouincijs Academiæ?* IREN. *Ex archigymnaſio Louanienſi ſunt nõnulli, qui paucis antè diebus huc ſe contulerunt.* DID. *Quid ais Irenæe? & ipſe adhuc hanc Tridentinam Synodum adpellare audes Oecumenicã? quum ſit in cõfeſſo, uix decimam adeſſe hic partem eorum qui adeſſe deberent. Nec reor à Chriſto propemodum paſſo, fuiſſe Concilium ullum, in quo pauciores, quàm in Tridentino nunc ſunt Concilio, fuiſſent Epiſcopi: id quod à ſufficienti partium enumeratione, ut dialectico dicendi modo utar, facilè tibi probauerim. Siquidem, ut nec tu ignoras, in Nicæno Concilio contra Arrium congregati fuerunt*

Epiſcopi CCCXVIII. *In Carthaginenſi* CCXVIII. *In* V. *Carthaginenſi Concilio* LXXIIII. *In Carthaginenſi* VI. *fuerunt Epiſcopi* CCXVII. *In* VII. *Carthaginenſi* XXXVIII. *In Florẽtino ult. adſuere Patriarchæ duo, Conſtãtinopolitanus uidelicet, ac Hieroſolymitanus: Metropolitani* LXX. *Epiſcopi* CCCCXII. *Abbates & Priores Conuentuales* DCCC. *Itemq́ Legati duorum Imp. Rom. ſcilicet, & Græci: & Regum Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, plurimarum deniq́ Academiarũ Oratores. In Concilio Rauẽnatenſi,* LXX. *Epiſcopi. In Lugdunenſi, Epiſcopi* CCCCC. *Abbates* LX. *alij Prælati perinde* M. *In Cõcilio, quod Romæ ſub Martino Pap.* I. *celebratum eſt,* CC.

Epiſcopi.

Epiſcopi. In Concilio Viennen. CCC. Epiſcopi. Trãſeo interim genus id Oecumenicas Synodos reliquas, quas uel omnes uſqueadeò multitudine Epiſcoporum, aliorumq́; Prælatorum præcelluiſſe floruiſſeq́; conſtat, ut ſi hanc Tridentinam Synodum eis cõtuleris, eam nomine Oecumenicæ Synodi nequaquam dignaberis. IREN: *Quoto ipſe numero Concilium Oecumenicum conſtare exiſtimas?* DID. *Duabus uniuerſitatis partibus.* IREN. *Id ſi uelis, nunquã (opinor) poterit hæc Tridẽtina tibi Synodus adpellari, nec eſſe Oecumenica: imò nulla fuit Oecumenica fortaßis à naſcente Eccleſia.* DID. *Quamobrem?* IREN. *Quum, ueluti paulo ſuperius eſt dictum, tria millia toto terrarum orbe ſupputen-*

tur Epiſcoporum: ſitq́ Chriſtianus orbis in quinq́ nationes partitus, utpote in Italicam, Gallicam, Germanicam, Hiſpanicam, & Anglicam, unà cum regnis & prouincijs, nationibus ſingulis, confinibus, & cohærentibus: utpote Portugaliæ, Schotiæ, Hungariæ, Boemiæ, Poloniæ, Daniæ, Daciæ, Noruegiæ, Schuetiæ, Veneciæ, Gothiæ, et alijs orbis Chriſtiani perquàm plurimis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, & Principatibus: credaturq́ uix unquam fuiſſe Concilium, quantumuis Generale (dempto Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio, in quo, niſi fallat autoris exemplar, tres Patriarchæ, Romanus, Conſtantinopolitanus, & Antiochenus: & M. CCCC. tam Orientalis quàm Occidentalis

*dentalis Eccleſiæ, interfuiſſe tradun-
tur Epiſcopi) in quo plures quàm
CCCCCCXXX. Patres, ijdẽq́ Epi-
ſcopi fuiſſent: cœperintq́ iampridem
(proh dolor) haud parum multi Epi
ſcopatus, inualeſcentibus contra Chri-
ſtianos Saracænis, Turcis, Mahome-
tanis, Hæreticis, Schiſmaticis, idq́ ge-
nus infidelibus alijs, deſinere, perire,
peſſumq́ prorſus ire: fieri nunc non
poſſe crediderim, ut duæ partes ad Tri
dentinam hanc Synodum acceſſuræ
ſint, aut in ea comparituræ: & qui-
dem maximè, quia nullus, uti rumor
eſt, adhuc Epiſcoporum, Doctorum,
& Prælatorũ, nec ex Regno Galliæ,
nec Luſitaniæ, nec Angliæ, nec Scho
tiæ, nec Boemiæ, nec Poloniæ, nec ex
alijs paulo remotioribus Regnis acceſ-*

ſerit. DID. *Adde, quia nec Proteſtantes (ita enim, quotquot ſunt ſectarij, propter proteſtationes ſuas, quas in Comitijs illis Imp. ſatis rebelliter ſæpenumerò factitarunt, prioribus, Lutheranorum utpote, & Oecolampadiorum, Carloſtadiorum, Muntzerorum, Zuinglianorum, Anabaptiſtarum, hocq́ genus aliorũ penè ſexcentorum portentuoſorum hæreticorum nomenclaturis ſilentio ſuppreſſis, adpellari geſtiunt: quum primò pleriq́ omnes, repũgnãte etiam rei ueritate, pluſquàm ſuperbientes titulo Euangelicorum à ſeipſis cognominabãtur) in hac Synodo, uel quãlibet primùm Concilia fieri (neſcio quàm ex animo) paßim omnes efflagitantes, compareant.* IREN. *Quid ergo tantiſper & tanto-*

tantopere Doctores illi, Theologi & Prælati pariformiter in abſentes huc-uſq; Tridenti diſputarunt? Nónne digladiantur ipſi, depugnantq́; clauſis perinde oculis, Andabatarũ more, quum non uideãt directa ſpicula, quæ clypeo ueritatis repellere conueniret? Quî eſſe poterunt uictores, quando præſto non habeant aduerſarios repugnantes? DID. *Porrò probè quæris, Irenæe mi: ſed quid faciat Synodus ipſa Catholica? quum per eam procul dubiò non ſtet, quo minus adſint aduerſarij, quos ipſa in eorum ſalutem, cuius hæc eſt auidiſſima, coràm palamq́; diu multumq́; præſentes adfore optáuit, & impediò precatur etiam.* IREN. *Quã ſuæ precor abſentiæ cauſam prætexunt?* DID. *Prætendunt*

neſcio quam uiolentiam ſibi illatum iri ab ipſa Synodo. IREN. *Ut audio, de iſtis ſunt ipſi, de quibus Regius præcinuit citharœdus: Qui Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerũt, ubi timor non erat. Quomodo filij iſti, plus æquo hactenus prodigi, timent ſibi à patribus tam ad omnem miſericordiam & pietatem paternam propenſis? qui quantumuis ab eis ſuprà quàm dici poteſt, ipſorũ peccatis offenſi ſunt, nihil æquè toto quidem pectore, quàm ut reſipiſcentes paternè recipere, redeuntes ambabus, ut aiunt, ulnis amplecti, nudos ſtola ueſtire, manus eorum annulis exornare, eorundemq́ pedes calciare: repertos qui perditi fuere, conſolari: reuiuiſcentes, qui mortui fuerunt, & famelicos uitulo*

ſaginato

ſaginato paſcere & ſaturare: ſibiq́ꝫ demum, propter pridem peccatores iam tandem pœnitentes, gaudere, congratulariq́ꝫ poßint. DID. *Sed ſe Synodũ hanc Tridentinã tam amicè erga eos exhibituram eſſe, nemo ſit arbitror, qui facilè perſuadere poſſet eis.* IR. *Hui, ſunt illi tam, nullo adhuc hoſte uiſo, formidoloſi, qui nunquam non inuictos ſe fore, nec ullo demum modo uincendos eſſe: qui pro ſe haberẽt uerbum Domini manens in æternum, Stentorea propemodum uoce inclamitarũt? quinimò qui pertinaciter apud pleroſq́ꝫ omnes adſeuerare audebant, à parte ſua contra quaſcunqꝫ Synodos Papiſticas ſtare ipſißimã ueritatem, quæ, ſcriptura teſte, ſuper omnia uinceret? Quid tum ſibi adeò timent titu*

lotenus Euangelici, et per omnia ſem per adeò uſq; fiduciarij; ut ſola fide fieri, ſeq; poſſe omnia, toties oggannientes? cur minus credunt & fidunt Euangelij fideiq; authori, tam fortiter eos in hæc uerba compellanti: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennã? Quamuis illic Dominus non de Patribus Cõcilij, quos minimè, cum non ſint aduerſarij fidei, timere debẽt, nec poſſunt ipſi: ſed de tyrãnis, fideiq; Chriſtianæ perſecutoribus, quos nec ipſe uelit eis eſſe timendos, loquatur. Iam uerò eſto, quia ſibi, tanquã fortaſſe mali cuiuſpiã conſcijs, timeant, quantumuis haud timore, qui cadere poßit in

uiros

uiros conſtantes: cur non ſinunt ſibi dari ab Imp. Carolo V. Concilij protectore, literas ſecuritatis, quas Catholici, quos ipſi apertò multis hucuſq; annis, & uſq; ad mortẽ, quam & multis intulerunt, perſecuti ſunt, nunquã ſibi dari petierunt? DID. *Imò Cæſarea Maieſtas ſua ſponte literas, quas Salui conductus uocant, clemẽter annuit: ſed iſti minus cõtenti, dicunt eius ſibi literas contra poteſtatem Concilij nequaquã ſuffecturas: addentes, Ioanni Huſſi non modò ſibi Sigiſmundi Imp. literas ſecuritatis in Concilio Conſtantiẽſi non ſuffeciſſe, ſed adeò etiam obfuiſſe, ut fuerit illic ipſe combuſtus: nec Boemis profuiſſe, quia dixerint, ipſum Huß, utcunq; conuictum, Cæſareæ Maieſtatis habere publicæ fidei literas,*

teras, & ſecuritatis: ſiquidem Concilij patres reſpondiſſe, hæreticum non poſſe, ubi conuictus fuerit hæreſeos, ſecuritatē habere. IREN. *Quid tum?* DID. *Ideo ſibi timent, qui toties ac palàm iactitarunt, ſe non eſſe hæreticos, ſed hæreticos eſſe quidem Papiſtas.* IREN. *Utcunque res habet, arbitror nec hanc quidem ſanctam Synodum eis publicæ fidei, liberæque ſecuritatis, etiam in meliore, quod aiunt, forma, literas negaturam, ſed eas potius conceſſuram perquàm lubenter. Exiſtimas tu autem iſtos, quando fuerint eiuſmodi literis muniti, certò uenturos ad hunc Synodicum conuentum?* DID. *Haud ſanè ſcio: quamuis ſcire modò non ignorem, eſſe quoſdam, qui putant iſtos ad kalendas Græcas omnino*

nino uenturos. IREN. *Quare nõ ad Neomenias Latinas?* DID. *Fortaſſe.* IREN. *Meliora ipſe de illis perſuadeo mihi. Siquidem refugituri ſint ſupremum orbis conſiſtorium, quod eſt in hac terra non aliud, quàm Oecumenicum Concilium, ſupremũ utique iuſtitiæ in hoc mundo tribunal et iudicium: facient ſe dubio procul toti mũdo de iniuſtitia ſua ſuſpectiſſimos, ſuorumq́ſe errorum & ſcelerum planè reos: utpote quos ſuæ conſcientiæ, mille nimirum teſtes, iniquitatis & maliciæ perperã contra optimos quoſque hucuſq; perpetratæ condemnabunt & arguent.* DID. *Quid tu de iſtorum cõſcientijs, quas ipſe noſti non modò latiſſimas, ſed planè cauteriatas eſſe, dicis? quum illi tanti faciant eas,*

quanti

quanti muſcas elephanti uel leones facere ſolent: utpote qui duces ſunt illi cæci, qui excolátes culicem, camelum uerò deglutiunt. Sed quid iſthæc ad inſtitutum noſtrum colloquium? ueniamus eò potius, unde digreſsi ſumus. IREN. *Dicas igitur Didyme tu mihi, ſi non uéturi ſint, quid dein faciundum? nunquid uocandi ſint ipſi, aut citandi?* DID. *Vocandos & citandos autumauerim, non quidem ut uel deliberent, uel cõſultent, uel ſtatuant, uel ſuffragentur, uel decîdant, uel definiant: ſed ut admoniti per ſanctam Synodum, reſipiſcant, pœniteant, errores ſuos agnoſcant, utq́ demum cum manſuetudine corrigantur: & correcti, ad ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, & huius Religionis & fidei unitatem redeant:*

deant: inibiq́ pœnitentes, in pulchritudine pacis in finem uſq́ perſeuerēt: memores, eos duntaxat ſaluatum iri, qui perſeueraturi ſunt in finem. IR. *Quid ſi ne tum quidem, uel quamlibet ſeriò uocati, uēturi ſunt? ſed quidquid eſt uſpiam uel monitionis, uel uocationis, uel citationis, negligāt, aduncoq́ naſo ſuſpendant, uiam ad Boemicum quoddam ſchiſma in Germania præparaturi?* DID. *Dij tantum malum auertant.* IREN. *Atq́ utinam cominus & eminus auertant: ſiquidem id utiq́ mali malū eſſet, quo non eſt aliud peius: utpote omnium in Germania malorum longè peſſimum, & dubio procul extremum ipſius (eheu, prohq́ dolor) exitium, ominaturum nouiſſimam huius ſeculi conſumationem.*

nem. Sed ſperauerim fata uiam eſſe inuentura. Nos redeamus ad ipſos noſtros Proteſtantes. Quid illis, haud ad hanc Synodum Oecumenicā aduenturis, opus facto cenſes? DID. *Ignoro ſanè penitus. Ideo quid putas ipſe faciundum ſit Synodo, iſtis non uenientibus?* IREN. *Exiſtimauerim equidem fieri oportere, quod Nauſea, Viennen. ille Epiſcopus, pridem fieri cenſuit in lib. Rerum Conciliariū.* DID. *Quid cenſuit ille?* IREN. *Ut abſentibus iſtis, aut quibuſlibet hæreticis et ſchiſmaticis, adeſſent in ipſa Synodo ex catholicis uiri pij, boni, probi, docti, periti, prudētesq́ Doctores, aut etiam Prælati, qui perſonas hæreticorum ſumerent, ac eorum partes in omnibus rebus, quæ controuertuntur ab ipſis, pro*

pro uirili ſua, modiſq́ quibus oportet ac decet omnibus, propugnarent, non ſecus atq́ res ſua ſerio ageretur, atque dein partes utrorumq́ ſubmitterentur iudicio ſacroſanctæ Synodi Oecumenicæ: & quidquid tandem illa probandum cēſeret, non aliter pro firmo ratoq́ tandem habendum eſſe, atque ſpiritui ſancto uiſum fuiſſet: ut uerè Patres dicere auderent, quod olim in ſuo Concilio dixerunt Apoſtoli, nempe: Uiſum eſt enim ſpiritui ſancto, & nobis. DID. *Id equidem, niſi fallor, in hac Synodo Tridentina, pulchro nimirū modo & ordine propemodum ſeruari uideo. Sub horas enim diſputationis habendæ, quarum ſingulis diebus ſex eſſe ſolent, tres quidē antemeridianæ, tres uerò pomeridianæ, poſi-*

ta ſunt ordinatim ſedilia & ſubſellia; & in eis ſumma cum honeſtate et reuerentia ſedent (ſuo quiſq; ordine) diſputaturi Doctores in omni doctrinarum genere præclari, circumſedentibus inſtar admirandæ cuiuſdam coronæ Patribus, & circunſtantibus ex omni quæ ſub cælo eſt natione hominibus, magna tamen ex parte literatis & eruditis, diſputandi ſumentes exordium ab articulis, quos uulgò adpellant, pleriſq; ferè omnibus contra Chriſtianæ, catholicæ Religionis, & fidei noſtræ ueritatem, per hæreticos hiſce xxx. annis impiè congeſtis, concinnatis, publicitusq; deprædicatis, & in aliquot exemplariorum millia editis, & modò per ſacroſancti Concilij Legatum eis nuper ad diſputandum adſigna-

adſignatis & exhibitis: atq; ipſi ſingu los & uniuerſos aut probãdos, aut im probandos, partim ſcripturarum, par tim rationum inde deſumptarũ, par-tim exemplorum, partim ſimilitudi-num, partim patrum antiquorũ, par tim Conciliorũ, partim Apoſtolicarũ traditionum, partim cõſuetudinum, partim Catholicæ Eccleſiæ, partim re liquis in argumentando ſeruari ſolitis probationum generibus, ita ſanè in u-tramq; tam Catholicorũ quàm hære-ticorum partẽ (nulli enim partiũ hic parcitur, nec ulla perſonæ habetur ra tio) fideliter, diligẽter, acriter, eruditè, diſerteq; (ſeruata tamẽ ſemper et ubi-que miranda quadam dicendi mode-ſtia) uirtute & autoritate, quo ad mi nutiſſimas in eiſdem articulis partes

explorant, examinant, excutiunt, diſcutiunt, exquirunt, ac replicando triplicandoq́ ponderant, & deliberant. deinde demum uel probant, uel reprobant: ut exiſtimes eoſdem articulos, eorumq́ auctores et aſſertores haud iniuria ad quemlibet diſputatorē dicere poſſe: Probaſti nos, igne examinaſti nos, ſicut examinatur argentū. Quandoquidem non crediderim neq́ in conflatorio argentum, nec in fornace aurum, quantumuis illud igne ſeptemplici probetur, uſqueadeò diligenter et exquiſitè examinari, purgariq́, ſicut eiuſmodi diſcutiuntur & examinantur Articuli. IREN. *Tu uerò quid de huiuſmodi diatribis & diſputationibus ſentis?* DID. *Non poſſum equidem nō optimè ſentire, quum uideam*

nulli

nulli aduerſariorum ullam fieri poſſe nec iniuriam, nec iniquitatem: nec eiuſmodi Theologos & Iuriſperitos doctores, diſputantes ullo modo ab ipſis etiam aduerſarÿs, quamlibet impudentibus, nec contemnendos, nec in ordinem redigendos, ſi eorum uel pietatem, uel religionem, uel deuotionem, uel doctrinam, uel eruditionẽ, uel induſtriam, uel memoriam, uel facundiam, uel quidquid huius eſt generis aut uirtutũ, aut dotium, ſpectes. quod indubiè tu melius, quàm ego, iudicaueris, cum illos tot diebus tam doctè et diſertè, tamq́ copioſè diſputare audiueris. IREN. *Quot illi diebus continuò diſputare ſolent?* DID. *Ipſe noſti, quòd hactenus plerunq́ ſemper toto quaſi menſe diſputauerint: tantoq́*

 tempore

tempore poſthac, donec duratura Synodus eſt, diſputaturos eſſe perhibent. IREN. *Quot eorum fuere, qui diſputarunt hactenus?* DID. *Quos hucuſque ego tecum diſſerere audiui, ſunt, qui ſubinde ex quodam perinde catalogo recenſentur. Doctores Theologi, miſſi à S. D. N. Iacobus Laynes, Hiſpanus: Alphonſus Salmeron, Hiſpanus, Congregationis Ieſuitarū. Miſſi ab Imperatore: Petrus Maluenda, Hiſpanus: Ioannes Arze, Hiſpanus, Clerici ſeculares: Melchior Cenus, Ordin. Prædic. Hiſpanus: Alphonſus de Caſtro, ord. Minorum. Miſſi ab Uniuerſitate Louanienſi, & ſereniſſima Maria Regina Hungariæ: Ruardus Tapper, Decanus & Canonicus Uniuerſitatis Louanien. Flandrus: Ioan-*

nes Leonhardus Flaſſellen, Clericus ſecularis, Flandrus: Franciſcus Sonnius, Clericus Secularis, Flandrus: IodocusRaueſtein Tiletan, Clericus ſecularis, Flandrus: Ioannes Ualteri, ordin. Prædicatorum, Flandrus: Ioannes Mauſius Aldenarden. ord. Minorum, Flandrus: Rogerius Iuuenis, ord. ſancti Auguſtini, Flandrus: Alexander Candidus, ord. Carmel. Flandrus. Qui ſunt cum ſacri Imperij Electoribus: Ambroſius Pelargus, ord. Prædic. Germanus, cum Reuerẽdiß. Treueren. Ioannes Gropperus, Cleric. ſecul. cum Reuerendiß. Colonien. Germanus. Euerardus Billicus, ord. Carmel. cum Reuerendiß. Colonien. Germanus. Qui ſunt apud dominos Prælatos Clerici ſeculares: Martinus Ma

f 4 *lo, ſa-*

lo, familiaris R. D. Ouenten. Hiſpanus. Iacob. Ferruſius, cum R. D. Segobien. Hiſpanus. Franciſcus Toro, cum R. D. Granaten. Hiſpanus. Martinus Olaucus, procurator R. D. Card. Auguſten: Hiſpanus. Melchior Uoſmediano, familiaris R. D. Pacen. Hiſpanus. Petrus Frago, cum R. D. Pacen. Hiſpanus. Ioãnes Caball. cum R. D. Aurien. Hiſpanus. Regulares ord. Præd. *Reginaldus de Genua. Aloyſius de Cathania, cum R. D. Panormit. Siculus. Bernardinus de Colloredo, cum R. D. Ceneten. Utinen. Didacus Chiaues, ſocius Patris de Cano, Hiſpanus. Deſiderius de Verona, in ſancto Laurentio.* Ord. Minorum de Obſeruantia: *Alphonſus de Cotreras, ſocius Patris de Ortega, Hiſpanus.*

ſpanus. Antonius Ugloa, ſocius Patris de Caſtro, Hiſpanus. Ord. Minorum Conuentual. Sigiſmundus Fedunus de Diruta, Umber, cum Reuerendiſſ. Cardinali Tridentino. Ord. ſancti Auguſtini, Marianus Feltrinus, Prior ſancti Marci Triden. Adeodatus de Senis, cum R. D. Panornitan. Franciſcus, cum R. P. Generali. Ord. Carmel. Deſiderius de Panormo, cum R. D. Boſſanen. Ord. ſancti Hieronymi, Franciſcus de Uigliargia, cum R. D. Granaten. Hiſpanus. Tales tantiq́ ſunt ij ſanè Theologi Doctores & Iuriſconſulti, quorũ nunc recordor (quandoquidem plures fortaſſis eſſe, nõ inficias eo) quibus non dubito quondam locò fuiſſe ceſſuros non parum multos ex Academi-

cis, ex Areopagitis, ex Peripateticis, ex Stoicis, & ex id genus alijs quamlibet ſuperciliosis philoſophis. IREN. *Etſi non ſit, cur illos non eſſe tantos, inficias iturus ſim, eosq́ tot modis inculpatim aduerſariorum dogmata diſputaſſe: eſt tamen cur plurimum uerear, eoſdem aduerſarios nec acceptaturos, nec pro grato, rato, firmoq́ habituros, quod per hanc ipſam Synodum tandē definietur, aut ſtatuetur.* DID. *Quamobrem?* IREN. *Quia dicturi ſunt (ut auguror) quod cōcluſum ſit, aut definitum, propter paucitatē Prælatorum & Patrum non eſſe definitum ab Oecumenico Concilio: cum tale non ſit hoc Tridētinum Concilium, in quo totidem non coierint Epiſcopi, quot Generale requirat Concilium: quando-*

quandoquidem in eo nondū fuerint, nec congregati ſint Epiſcopi XXXX. cum longè plures Oecumenico Concilio intereſſe debeant. DID. *Id ſi dicerent illi, ueritati profectò ſatis impudenter parcerent: ſiquidem nulli non colliqueat, in ſeſſione, quæ in die diuæ Catharinæ uirgini ac martyri ſacra, quæ fuit cal. VII. Decemb. dies autem XXV. Nouemb. admodum ſolenniter eſt celebrata, numerati ſunt præter Abbates, & Monachorum quorundam Generales, quos adpellant, Epiſcopi LXVII. quibus nec Cæſaris, nec Regis Rom. nec aliorū Principum, qui non contemnendæ fuere multitudinis, Oratores connumerati fuerunt. Sileo quot interea huc uenerint, quotq́ iamiā in itinere huc uenturi*

turi eſſe perhibeātur, quibus indubiè numerus eſt adauctus. DID. *Qui obſecro fuerunt illi Prælati? te ſummopere rogo, ut eorum nomina, ſi memineris, ex ordine recenſeas mihi.* IR. *Quorum ego recordor, nominatim fuere, quos ſubijcio:*

Reuerēdiſs. & illuſtriſs. D. Marcellus, S.R.E. Cardinalis, Creſcētius, S. Concilij Legatus, Romanus.

R. D. Sebaſtianus Pighinus, Archiepiſcopus Sypontinus, Præſidens Concilij, Regienſis.

R. D. Aloyſius Lypomanus, Epiſcopus Ueronen. Præſidens Concilij, Uenetus.

Reuerendiſs. & illuſtriſs. D. Chriſtophorus Madrutius, S.R.E. Card. Epiſc. Princepsq́ Tridēt. Germanus,

SACRI

SACRI ROM. IMPERII
Principes Electores.

Reuerendiſs. & illuſtriſs. D. Sebaſtianus Heuſeſteyn, Archiepiſc. Moguntinen. Germanus.

Reuerendiſs. & illuſtriſs. D. Ioannes Iſemburg, Archiepiſcopus Treueren. Germanus.

Reuerendiſs. & illuſtriſs. D. Adulphus ex Comitibus de Schauemburg, Arch. Colonien. Germanus.

ORATORES CAROLI
V. Imp.

Illuſtriſs. D. Hugo à Montfort & Rotenfels, Germanus.

Reuerend. D. Franciſcus à Toleto, Prior, Hiſpanus.

Reuerend. D. Guielmus à Pictauia, Archidiac. Campiniæ, Flādrus.

ORA-

ORATORES FERD. Rom. Regis.

Reuerendiſs. D. Paulus de Gregorianis, Epiſc. Zagrabien. Hungarus.

Reuerendiſs. D. Fridericus Nauſea, Epiſcopus Viennen. Germanus.

ORATORES ELECTORIS Brandeburgen.

Exim. Doctor Chriſtophorus à Straſſen, Germanus.

D. Ioannes Hoffmannus Secret. Germanus.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerendiſs. D. Paulus Salaputius, Archiep. Turritanus & Saſſaren. Sardus.

R. D. Ludouicus Chieregatus, Archiep. Antibaren. Vicentinus.

R. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus

piſcopus Upſalenſis, Gotus.

R.D.Petrus Iagliauia, Archiepiſc.Panor.Siculus.

R. D. Petrus Guerro, Archiep. Granaten.Hiſpanus.

R.D. Balthaſar de Heredia, Archiep.Calaritan.Hiſpanus.

EPISCOPI.

R.D.Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren.Bononien.

R.D. Gaſpar Iofredus, Epiſcopus Segobien.Ualentinus.

R. D. Coriolanus Martyranus, Epiſc.ſancti Marci, Neapolitanus.

R.D.Ioãnes Baptiſta Campegius, Epiſcopus Maioricen.Bononien.

R.D.Berardus Bonioannes, Epiſcopus Camerin.Romanus.

R.D.Ioannes Ioneſca, Epiſcopus Caſtel-

Caſtellinaris, Hiſpanus.

R. D. Ioannes Salazar, Epiſcopus Lancian. Hiſpanus.

R. D. Petrus Guanguer, Epiſcopus Algaren. Hiſpanus.

R. D. Balthaſar Vauſman, Epiſcopus Miſien. Germanus.

R. D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſanus, Siculus.

R. D. Ricardus Pœtus, Epiſcopus Vigornien. Anglicus.

R. D. Eraſmus à Limpurg, Epiſcopus Argentinen. Germanus.

R. D. Cornelius de Muſis, Epiſcopus Biſuntinus, Placentinus.

R. D. Iacobus Iacomell. Epiſcopus Belicaſtren. Romanus.

R. D. Franciſcus Manrique, Epiſcopus Aurien. Hiſpanus.

R.D.Franciſcus de Nauara, Epiſcopus Pacen. Hiſpanus.

R.D. Ioannes Iobinus, Epiſcopus Conſtantien. Hiſpanus.

R.D.Petrus de Auguſtinis, Epiſcopus Oſcen. Hiſpanus.

R.D. Iacobus Naclantus, Epiſcopus Clodien. Florentinus.

R.D. Gregorius Flach, Epiſcopus Solonen. Germanus.

R.D. Bernardus Diaz, Epiſcopus Calaguritan. Hiſpanus.

R. D. Michael Pugius, Epiſcopus Elnen. Hiſpanus.

R.D. à Iurre, Epiſcopus Ceneten. Utinen.

R.D. Octauianus Preconius, Epiſcopus Monopalitanus, Siculus.

R.D. Ioannes Fernandi, Epiſco-

pus Legionen. Hiſpanus.

R. D. Chriſtophorus Ruſcius, Epi ſcopus Oueten. Hiſpanus.

R. D. Ioannes Emilianus, Epiſco pus Tuden. Hiſpanus.

R. D. Antonius Codina, Epiſcopus Lacoren. Hiſpanus.

R. D. Martinus Aiala, Epiſcopus Guadicen. Hiſpanus.

R. D. Petrus de Acugna, Epiſco pus Aſturicen. Hiſpanus.

R. D. Nicolaus Pſalume, Epiſcopus Virdunen.

R. D. Chriſtophorus Metzler, Epiſcopus Conſtantien. Germanus.

R. D. Franciſcus Salazar, Epiſco pus Salamin. Hiſpanus.

R. D. Vincentius de Leone, Epiſcopus Boſſanen. Siculus.

R. D.

R. D. Egidius Ioſcararius, Epiſcopus Mutinen. Mutinenſis.

ABBATES.

R. P. Gerardus de Amerincourt, Abbas ſancti Bertini, Morinen. Diœceſis, Flandrus.

R. P. Marus de Brixia, Abbas ſancti Vitalis, de Rauenna.

R. P. Euſebius de Parma, Abbas ſanctæ Mariæ Gratiarum, Placentinen. Diœceſis.

GENERALES.

R. P. Chriſtophorus de Padua, Generalis ord. Heremit. ſancti Auguſtini. Ex hoc, mi Didyme, catalogo habes, qui in proxima fuere ſeſſione collecti, Prælatos & Epiſcopos: quos ſi tuo, quo polles, acuto nimirum iudicio, paucis antè diebus, in ſeden-

do, in dicendo, in diſputando, in diſcer nendo conſideraſti, potuiſti tu nullo ſanè dubio facilè exiſtimare, tales tantosq; in omni ſcientiarum & linguarum genere & facultate uiros, ex nulla unquã Academia Platonica, ex nullo unquam Athenienſi Areopago, ex nullo unquam Peripatetico, eodemq; Ariſtotelico Lycæo, ex nulla unquam Stoica Porticu: ſed ex ſola Ieſu Chriſti Theanthropi, qui ſolus à Deo uenit magiſter, in quo ſunt omnis ſapientiæ & ſcientiæ theſauri, ſchola, cunctis in orbe Gymnaſijs inſigniore, prodijſſe. Cum enim paulo diligentius mecum cogito, & cõſidero, quanta illi grauitate & modeſtia conſederint, quanta facundia & eloquentia diſſeruerint, quanta pietate & erudi

tione

tione dixerint, quanta diligentia & prudentia deliberauerint, quanta ſcriptura & doctrina probanda probauerint, & reprobanda reprobauerint: quanta deniq; maturitate, conſultatione cuncta definierint, diceres haud dubiè non audire, uidere, ſentireq; alios, quàm quoſdam Dionyſios, Origenes, Baſilios, Nazianzenos, Tertullianos, Cyrillos, Hilarios, Cyprianos, Euſebios, Gregorios, Leones, Irenæos, Ambroſios, Auguſtinos, Hieronymos, & id genus anteſignanos Eccleſiæ Catholicæ Patres, Antiſtites, & Doctores: imò clariſſima quædam totius orbis Chriſtiani lumina, lucidaq; Regni cœlorum ſidera. DID. *Quid tum aduerſarij tot tantisq; paſſim contumeliarum & conuiciorum plauſtris*

illos tantopere adficiunt, impudenter eos adpellantes ſtupidos & aſinos, inſulſos & indoctos ſtipites, et neſcio quibus alijs ignominioſiſſimis nomenclaturis? IREN. *Ut uniuerſus mundus agnoſcat, ipſos eius eſſe diſcipulos, qui mendax eſt, & in ueritate nunquam ſtetit. Cæterum quia ut de eis uerba faciamus, indigni ſunt, ſinamus eos, uti merentur, perpetuò ualere, quorum memoria dubioprocul eſt peritura cũ ſonitu: quemadmodum non incaſſum Propheta Regius imprecatur iſtis, inquiens: Diſpereat de terra memoria eorum. Id quod omnib. hæreticis acci- diſſe nouimus, quos noſtræ tempeſtatis hæretici ex cineribus iſtorum reſuſcitare moliuntur: ſed in uanũ conantur omnes aduerſus Domini uerbum*

manens

manens in æternum. Ad noſtrum potius inſtitutum reuertamur, audituri, quanti referat, paucos aut multos intereſſe legitimis Concilijs. Atq; igitur finge modò (quoniam mentiatur in iſtis aduerſarijs iniquitas ſibi, ut audiſti) nondũ quadraginta in hac ipſa ſancta Synodo eſſe Epiſcopos, æſtimas propterea eius non eſſe ſtandum decretis? aut arbitraris, nunquã tam paucos in aliquo interfuiſſe Concilio Patres? Ita ſi opinaris, tua certè falſa eſſet opinio: quandoquidem conſtet, in primo Toletano Concilio, Imp. Honorio & Archadio, niſi XVIII. interfuiſſe Epiſcopos, eius tamen Canonib. ſtetiſſe omnes. Colliquet etiamnum, in Toletano VII. Concilio Epiſcopos fuiſſe duntaxat XXX. illius tamen de-

cretis fuiſſe ſtandum. Sed quid plura? Quum, ſicut ſententias non numero, ſed grauitate & ueritate ponderandas eſſe cõuenit: ita puto Concilia nonnunquam non à maiore, ſed ſaniore eſſe parte dijudicanda, quẽadmodum Iureconſulti prudenter diſputare conſueuere. DID. *Haud me fugit, Iureconſultos hac de re plurimũ uariare, nec ſibi per omnia cõuenire: atq; proin ex te huius rei, quoad commode fieri poſſet, paulo certior fieri cuperẽ.* IR. *Poſt tot diſcuſſas Iuriſprudentum ſuper hac re cõtrouerſias, equidem pronunciare non dubitarem: Quoniam Concilium, maximè Oecumenicum, de rebus haud protrepticis & uulgaribus, ſed omnino grauibus, difficilibus, & arduis, quæ magni uidelicet ſunt*

ponderis

ponderis & momenti: eiuſmodi ſunt fidei, hæreſeos, ſchiſmatis, & tam in capite quàm in membris, reformationis uniuerſalis Eccleſiæ res, cuiuſmodi ſunt, ob quas hæc Synodus Oecumenica coire ſoleat, & celebrari: plurimum decere putē, ut in eo multi ſint Prælati: cùm quòd in rebus dubijs iudicium ſanè illud ſanius & probabilius, quod à pluribus, quàm à paucioribus emanat, cenſeatur: tum quia rectius & grauius eſſe putatur iudiciū, quod plurium, quàm paucorum ſententijs comprobari ſoleat. id quod ex confeſſo teſtatū facere uidentur Apoſtolorum et maiorū noſtrorum exempla, qui in Synodis ſuis, & in ponendis & iaciendis ſtabilibus noſtræ Religionis & fidei fundamentis, aut om-

nes, ut in Symbolo Apoſtolico perſpicuum ſit: aut quotquot potuerunt, ut pateſcit ex Concilio Nicæno, Patres congregauerunt. DID. *Quantũ uidere uideor, nihil hac in re certi concludi poteſt.* IREN. *Omnino certi nihil: uerùm ſequendam eſſe cõſulunt conſuetudinem, iuris optimam interpretem, & eius haud uilem authoritatem: ex qua deprehendimus, duarum partium uniuerſalis præſentiam non eſſe neceſſariã, ſed ſufficere, quotquot ibi cõgregati reperiri poſſunt. Siquidem Concilia generalia, niſi ex cauſis arduis, magnis, & periculoſis, nempe hæreſeos, ſchiſmatis, pacis & belli, agi non ſoleant: conſequens fuerit arbitror, ut quãto ſunt eiuſmodi cauſæ periculoſiores, tanto citius, tantoq; maturius,*

rius, etiam ſolemnitatibus iuris omnibus non ſeruatis, expediri debent, propter nimirũ pericula, quæ dilatione, fruſtraq́ꝫ cõteritione tẽporis, rerumq́ꝫ protractione longiore, dubioprocul occurrere poſſent: quum plerunqꝫ ſemper eſſe in periculo mora conſueuerit, noceatq́ꝫ ſerò medicina paratis. Atqꝫ propterea hoc in caſu nollẽ ego, in hoc Oecumenico præſertim Concilio, omnes qui alioquin fortaßis adeſſe debuerint, uel duas omnino partes expectatum iri, quia longiore temporis tractu illa expectatione opus haberet: ſed eos qui adeſſent, legitimũ Concilium conſtituentes, & repræſentãtes expedienda, cæteris haud expectatis, urgente nimirum neceßitate, quantocyus, nullaq́ꝫ mora expedituros: prout memo-

riæ

riæ proditum eſt de Papa Sylueſtro, qui cum Epiſcopis, quos tunc in exilium à Guiliſario patricio miſſus habere potuit, eundem Guiliſarium anathematizauit, uti uidelicet anathema eſſet haud uulgare, ſed anathema maranatha: id eſt, eſſet excõmunicatus & ſeparatus de conſpectu Dei & ſanctorum, uſq; in aduentũ Domini ſecundũ. Suffecerit igitur ad Oecumenicam Synodũ, ut omnes uocati, ſuo loco & tempore iuxta Concilij formam adſint: tametſi pleriq; omnes, aut duæ totius uniuerſitatis partes haud comparuerint, nec maior Epiſcoporum omnium pars adfuerit, dummodo qui legitimè abſunt, ſuos in Concilio habeant aut Procuratores, aut Legatos, aut Oratores, aut Commiſſarios, aut Manda-

Mandatarios, aut ipſa Epiſcoporum cõgregatio non ſit plus æquo minor & uilior: quoniam tum Oecumenicum Concilium, idemq́ legitimũ uix eſſet, aut dici poſſet: nec facile concelebrari deberet, ob rerum in eo gerendarum magnitudinem. id quod in hac Tridentina Synodo minimè uerendum eſſe cenſuerim, quãdo iuſta ſit in ea Prælatorum multitudo, maior quotidie, frequentiorq́ futura, aduentaturis præſertim totius occidẽtalis Franciæ, quã Galliam uocant, Epiſcopis, qui ad grã uiſsimam & pientiſſ. huius ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi inuitationem & hortationẽ, Chriſtianiſsimo eorum Rege Heinrico conſentiente, certò, & quidem breui uenturi ſperãtur. Non eſt igitur, ut uel Proteſtãtes, quos adpellant,

pellant, uel quicunq; alij quidquam, quòad in ſufficientem Epiſcoporum congregationẽ in hoc Tridentino Concilio iure deſiderare poßint. DID. Sed adhuc iſti de loco Concilij neſcio quid aut obijciant, aut cauillẽtur. IREN. Si gratum tibi fuerit, mi Didyme, colloquemur et de Synodi huius loco, uel ante ſolis occaſum. DID. Mihi ſanè non eſſe poteſt non lõgè gratißimum. Igitur incipiam.

TERTIA DIALOGI interloquutio.

INTERLOQVVTORES, Irenæus & Didymus.

IREN. De ciuitate Tridentina, quæ nunc hanc inclytam Synodum concorditer fouet, quid deſideras Didyme?

me? DID. In ea parum eſt, quod ego deſiderem, quum conſtet illam origine nobiliſsimã eſſe, & uetuſtiſsimam, & à Gallis olim, Breno Senonum regulo conditore conſtrui cœptam, anno à mundo cõdito, IIII M.DCCCCX. & ante Deiparæ uirginis Mariæ glorioſæ partũ CCCLXXXIX. à Chriſto Ieſu autem, ipſius unigenito nato, M.DCCCCXXVII. à Theodoſio Gotthorum Rege muris anno ſalutis humanæ CCCCCXV. cincta, & mœnibus aucta eſt. Sed quid iſthæc ad Conciliũ? potius ex te ſcire uelim Irenæe, quur hæc Tridentum adpellari cœpta ſit. IREN. Non omnino, mi Didyme, ab re eſt, ut antiquã huius uerbi ætatem paulo longius etiam repetiueris, quum nobis ipſa plerunq; ue

tuſtas quampiam rem oppidò commendare, uenerandamq́ reddere ſoleat: crediq́ par ſit, antiquos illos urbium conditores non ſine ſumma induſtria & prudentia ſitus earum ſalubres, & rebus percommodos explorasſe: diligentiusq́, quàm noſtra fortaſſe tempeſtate fieri ſoleat, ut ſubinde de hac Tridẽtina urbe intelligere erit. Qua uerò de cauſa urbs ipſa, Tridentum adpellari cœperit, certant Topographi, relinquentes ſub iudice litem: quum & Ianus ille Pyrrhus Pincius Mantuanus, noſtra quidẽ, patrumq́ noſtrorum memoria, uir uſqueadeò Topographorum in omni ſcientiarum genere incomparabilis, ut illos ipſum non æquaſſe modò, ſed omnes etiam ſuperaſſe, longoq́ poſt ſe interuallo reli quiſſe,

*quiſſe, nõ illubenter crediderim, pri-
mus huius Tridẽtinæ ciuitatus ſciſcita-
tor et illuſtrator multo celeberrimus,
ingenuè fateatur, omnino ſe apud nul
lum authorẽ huius ciuitatis nomẽcla-
turæ cauſam legiſſe: coniecturã tamen
eſſe, quia ſit à tribus torrentib. ex pro
pinquis montiũ iugis prope illã caden-
tibus, Tridentũ, quaſi Torrentem uo-
cari fuiſſe cœptã: quorũ unus per por
tam Aquilæ in mœnia delatus, angu
ſto alueo per mediam urbem Atheſi
commiſcetur: alius, quem Ferſinã di-
cunt, muros prælabitur: tertius uerò,
cui nomen Saletus, paulo longius dela
bens per uineta, & cultã uallem, ex
propinquis montibus currit: ſed lapi-
dum ſtructura, atq; aggeribus utrinq;
coarctatus, & ab iniuria agrorũ pro-*

hibitus, uix in Atheſim exitum inue nit. Nec deſunt, qui uelint illam à tribus dentibus adpellari uel ideo cœptã, quia inter tria montium cacumina, quæ ueluti dentes à reliqua Alpium parte longè eminent, poſita ſit. Quas ego duas huius urbis nomenclaturas, cauſas planè præ cæteris, quas nõnulli recenſent, probandas facilè duxerim.
DID. Quid autem ambæ hæ adpellationis cauſæ ad cõmendationem loci Conciliaris faciunt? IREN. Plurimũ inquam: ſiquidẽ liceat ex eis colligere, quod in primis attinet ad Concilij locum. DID. Quod eſt iſthuc? IR. Ut Concilij locus ſit, cœlũ habens temperatum, et aerem minimè turbulentum, nec uẽtis inſalubrib. expoſitum: ſed ab omnibus uitioſis etiã lacubus et

palu-

paludibus ita ſemotum, ut à frequenti peſtilentia, & hoc genus morbis, eſſe poſsit immunis: quum alioqui facilè ſæuiente frequentius peſte, incolæ ſint perituri. Solet enim hæc ipſa urbs à ſalubri ſitu cõmendari, quæ plus ab oriente & ſeptentrione, quàm à meridie & occidente, recipit ſolis: & cœlo eſt hyeme frigidiore, quàm pluuioſiore: ac frequentius æſtate habeat auras, quàm uentos: atq; ſemper aer interim ſpiritu aliquo moueatur, cuius lata et diffuſa planicies ſic undequaq; uergit ad collẽ, ut deuexa terra quidquid liquoris accipit, non abſorbet, ſed deſcendens ad imũ diffundit: montes arboribus ac nemorib. ornatos, non tamẽ cominus, ſed eminus ita reſpiciens, ut ab eis auras, quamlibet ſereno etiam &

placido die, non tamẽ acres & immodicas, ſed ſpacio ipſo laſſas & infractas accipit. DID. *Tu talem eſſe putas Tridentũ?* IREN. *Certè puto, quócunq; me uerto et proſpicio. Uide enim quæſo, quàm ſit ipſum Tridentũ pulchrè ſupra Ueronam, Uenetiæ ciuitatẽ, in Alpium radicibus poſitam, apud torrentẽ uulgo Ferſinã uocatũ, à Precino oppido defluentẽ, ubi uolubili impetu in Atheſim amnẽ iucundo quodã murmure funditur. Uide etiã, quàm bellè receſſus illi miteſcunt, quàm hoſpitaliter pateſcunt diuerſis terrarum nationibus, per eas oras ultro citróq; ſub alium orbem tranſeuntibus. Etſi enim illuc, ut expertus es nuper, ex boreali plaga, per difficiles primùm montium apices deſcenditur: ubi tamẽ Tri-*

dentinorũ fines attigeris, ſe tibi ſtatim ſatis & perblandè planicies offert, ob ipſius amnis, qui mediã ſecat ipſam, fluctus, ad ſaxa iucũditer immurmurantes, modis omnibus amœna, quum præſertim uicis utrinque frequens ſit. Adde, quia non modò iucũdæ ualles agris & pratis abundent, imò et montes ipſi, qui uel cœlũ ipſum ſua uidentur altitudine attingere, et illud quaſi quoſdã Atlantes ſuſtinere, quos partim uides uitibus & arborib. ſeri, partim aratro (mirũ ſanè) uerti, raſtriſq; domari, culturaq; diligenti (quod ego meis uidi oculis) ad frumenta ſubigi. Addiderim herboſos illos inſuper ſaltus, & ſyluas paſcuas, ubi innumeræ propemodum errant greges: unde non ad leuandos ſolum labores, parantur

 reditus,

reditus, ſed opulentiam uſq; montani homines prouehũtur: ut nullo in loco penè ſit certior prouẽtus, nullo in loco maior agricolarũ frequẽtia. unde ſubſequitur altera loci Conciliaris cõmendatio. DID. *Quæ eſt illa?* IREN. *In eo ſanè loco, in quo Concilium coire debet, non debere penuriã annonæ, nec rerum ad uictũ & amictum neceſſariarum defectum eſſe.* DID. *Hoc ſi uerum eſt, prout eſſe uerũ fatear oportet, quum doceat hoc ipſum natura, ratio; & experientia rerũ magiſtra teſtetur: profectò locus Tridentinus ad Concilij locũ minus eſſe poteſt commodus.* IR. *Quur minus, oro?* DID. *Quum is territoriũ habeat anguſtũ, non latũ, ſed uſqueadeò etiã rebus ad uitæ ſuſtentationẽ neceſſarijs & percommo-*

commodis non modò non abundans, ſed omnibus pariformiter adeò carẽs, ut omnia hic eſculenta, uictualia, & quæ etiã equis, & reliquis animantibus, ad cõmodam, eandemq́ꝫ quotidianam uitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt, cuiuſmodi eſſe ſolent frumenta nullius non generis omnia, ſtramina, fœna, carnes, piſces, ligna, idq́ꝫ genus alia, quibus humana ſuſtentatio maximè opus habet, in cariſſimo ſemper foro ſunt, & precio. IREN. *Etſi earũ ſit rerum, quas enumeraſti, nulla in omni genere planè ſuperfluitas, nec ſuperabundans earundẽ copia, defectus tamen earum eſt haudquaquam ingens. Adde, quòd ea rerũ eſt neceſſariarũ mediocritas, ut ſi quis parſimoniæ malit, quàm gulæ & crapulæ ſtu*

dioſus eſſe, nihil planè ſit ei neceſſariò defuturum: ſiquidem uini, carnis & bouinæ, et ouinæ, gallinarũ, caporum, auium, uolucrum, leguminũ, uarijꝗ generis caulium, pirorũ, pomorum, idꝗ genus fructuum, eduliorum eſibilium aliorũ copia ſit ſuo loco & tempore mediocris. DID. *Sed quid de frumentis, ſtraminibus, fœnis, piſcibus, lignis, & huius ſortis rebus alijs? quanta quæſo harum ſit rerum aut copia, aut penuria?* IREN. *Earum quanquàm rerum in territorio Tridentino copia ſit nulla, eſt autem nulla earum penuria in locis haud ualde procul ſitis, ſed uicinis, propinquis, propemodumꝗ cõfinibus: unde poſſunt, quibus Tridentinus ager et ſitus caret, et ipſa urbs eget, ad comodiorem uitæ ſuſtentationem,*

tationem, quæcunq; res & citra graues & immodicas expēſas adferri: & quæcunq; uitæ neceſſaria, non minus aqua partim, quàm terra partim, ſine magna difficultate conuehi. Quid multa? ſi Tridentinæ ciuitatis ſitum paulo maiore cum iudicio & ingenio circūſpexeris, certè uidebis illum non adeò ſterilem eſſe, quo minus à uictualibus, et à quarundā bonarum rerum elegantia, nitoreq; commendari poſsit. Nonne quæſo cernis feraces iſtas ualles, & apricos colles, & quidem maximè, quæ circa urbē ſunt loca, remiſsioribus frigoribus temperatiora, cum quauis regione uini bonitate cōcertantia? Mehercles facilè cēſuerim, hanc ipſam montoſam Tridentinam regionem penè eſſe opulentiorem, quàm ferax ſit

 rax ſit

rax ſit Italiæ tractus. DID. *Ut tibi, mi Irenæe, gratificer, ita nimirum crediderim, quod de rerum copia Tridentinæ urbis adſers: ut minimè dubitem te non difficile poſſe ex muſca facere elephantem. Tu mihi facilè perſuadebis, hunc eſſe Germanis Tridentinum locum ad Concilium, cùm propter uictualium penuriã, tum ob difficilem uiarum diſtantiam, tum deniq; ob ſecuritatẽ et tutelam ualde cõmodum.* IREN. *Erras ipſe Didyme, quòd uictualium cariſtiã, quam uocant, accuſas Tridenti. Nimium Theuton guloſus et crapuloſus, quum paulo parcius uiuere uolueris, uictus hic & amictus haud facilè defuerint, modò ſequaris Euangelicum illum & fidelẽ & prudentem ſeruum diſpenſatorem, quem*

conſti-

conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibũ, & tritici menſurã. Sanè edamus, ut uiuamus: non autem uiuamus, ut edamus. In Concilio, ubi opus eſt, ad ſapienter contemplandum, conſulendum, & definiendum, ſobrietate: non gulæ, nec crapulæ, qua ſpiritus grauatur, & uiſus, ſed parſimoniæ, tantopere ſemper laudatæ, ſeruiendum eſſe cẽſeam. Hactenus quidem comeſtibilium quorundam penuria fuit, & cariſtia: ſed deſinet, opinor, ob meliorem poſthac politicæ Reip. huius Tridẽtinæ ordinationem, quam nonnulli non immeritò nuper in hac urbe deſiderarunt, paulo pòſt conſtituendam, ubi frequentia populi maior aduenerit. DID. *Quid maior frequentia? quum modò paucitas ſit populi,*

populi, & nihilominus inedia laboramus, quid fiet, ubi frequentia fuerit copioſior? IR. *Neſcis, quo plures adueniunt homines, hoc cõplura aduehuntur indies: uti locus, in ſenſu quãtumuis alieno, ſit uerbo, quod ipſiſsima prudentiſsimaq́ueritas ait: Ubicunq́ fuerit corpus, illuc cõgregabuntur & aquilæ.* DID. *Frequentiorem hic fore populum nollem, ob anguſtiã loci, qui certè plurimorum hominum capax non eſt.* IREN. *Inuenietur, ut quondam Conſtantiæ fieri cœpit, ratio ciuitatis ampliandæ & propagãdæ, quẽadmodum pariformiter factũ eſt cum Oenipontano, Comitatus Tyrolen. oppido. quod etſi noſtra & patrum memoria tam fuerit anguſti ſpacij, ut uix unius Principis, ſuæq́ familiæ nõ admodum*

modum magnæ, capax eſſe potuerit: quia tamen dein Maximilianus Roman. Imp. ob non ulgares cauſas illic frequenter eſſe cœperit, ita breui tempore ſuis ædibus, habitationibus, hypocauſtis, quæ Germani ſtubas appellãt, cameris, teſtudinibus, ſtabulis, & id genus ad uſum inhabitantium rebus neceſſariјs ampliatum eſt, uti nunc Imp. Roman. Carolum V. & alium quemuis magnum Principẽ non paucis cum millib. hominum et equorum magnificè, ſatisq́ cõmodè recipere ualeat. Quod quum eſſe factum conſtet tantillo cum oppido, quid reris fieri poſsit cum ciuitate Tridentina, nunc etiam multo loci ſitusq́ ſpacio maioris & fuſioris? DID. *In tuam equidem ſententiam facilè conceſſerim, maximè*

mè quum modò uideam, quod ais, fieri. Siquidem modò ſic paßim domus extruantur, amplificentur, ornẽtur, & illuſtriores reddãtur, ut hoc ipſum Tridentum iam aliquot multa millia hominum citra ullam preſſuram capere poſſe crediderim. IREN. *Ecquid inſuper in eo deſideras ultrà?* DID. *Aedium & platearum nitorem, ſplendorem, & amœnitatem.* IREN. *Id quondam non immeritò deſiderare Tridenti potuiſſes, nunc uerò minimè: quandoquidem Tridentina urbs noſtris temporib. duorum Principum & Epiſcoporum Tridentinorum, Bernhardi uidelicet Cleſij, & Chriſtophori Madrutij Cardinalis opera & ſtudio tam eſt palatijs & aquarum riuulis, per uicos ſilicibus proximè*

ximè conſtructos diffluẽtibus, mirum in modum exornata, ut cœperit etiã magnis eſſe Principibus percõmoda, & hoſpitium fieri tam iucundum, ut huius etiam urbis charitas multos teneat. Atq; hinc adparet aliud, quod Conciliaris eſt loci. DID. *Quod?* IR. *Quòd ciuitas Concilij ſit undecunque munda, non lutoſa, cuius plateæ ſunt abſque ſordibus: & non tam breues, quàm amplæ, quas aura penetret: ſecumq́; ſi quid eſt uel fœtoris, uel ſentinæ, uel ſordiciei, trahat, & auferat.* DID. *Cuius ſitus & naturæ tam prorſus eſſe uideo hanc urbem Tridentinam, ut nullam hoc ſanè caſu ciuitatem ipſa putem eſſe mundiorẽ: quamuis ita frequenter hic pluat, non utiq; tam interdiu, quàm noctu, ut de ea*

credam

credam Vergilium poetarum principem ceciniſſe,

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula manè.

IREN. Iam uerò Didyme quid ultrà deſideras in ciuitate Tridentina, quæ nunc continet Oecumenicam Synodum? DID. Quòd non omni ex parte munda credatur ab hæreſibus, ætate noſtra ſæuiẽtibus. IREN. Non equidẽ puto: niſi ſint fortaſſe ex mercatoribus nonnulli, qui neſcio quid ſapiunt: oppidani uerò ciues haud ita, utpote qui catholicam religionẽ in primis obſeruant, eamq́ unà tenendam eſſe, conſtantiſsimè diſputant contra hæreticorum & ſchiſmaticorum furorem, quos ad inſaniam impulſos uenenarunt quorundam deliramenta, qui ſanctiſsimam legem propterea interpre-

terpretantes, ita hominum animos la befactarunt, ut res Chriſtiana in tantum adducta ſit diſcrimen, ut hæc Tridentina Synodus, ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, collecta, conuenerit. DID. *Atq; utinã hæc ipſa ciuitas in aduentu hæreticorum & ſchiſmaticorum, maximeq́; cohabitatione eorundem non ſecus atq; cõtagione quadam non inficiatur, ueluti præcedentib. annis in Germania cõtigiſſe noſti. Nónne, quæſo, præſentibus iſtis fidelem populum Uormaciẽſem, Spirenſem, Ratisbonenſem, & alias etiam gẽtes, ſuis & ſuorum complicum concionibus et libellis, & mendacibus ſcriptis, uenenoſiſq; colloquijs ſubuerterunt?* IR. *Recte nimirum dicis; quum ſint iſti ſua præſentia non aliter cõtagioſi, atq;*

uuæ cæteris uuis liuidæ, uel ouis morbida ouibus eſt: quemadmodum pulchrè grauiterq́ Satyricus ille poeta notauit, inquiens:

Cretice pelluces, dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & prurigine porci,
Vuaq́ conſpecta liuorem ducit ab uua.

Eſt quidem iſtorum dogma non ſecus atq; cãcer cõtagioſum. Conſueuit enim iſtorum hominum ſermo, inquit Paulus ille Tarſenſis, non ſecus atq; cancer ſerpere: nec aliter contagioſus, quàm peſtilens aer quiſpiam, ſuo quidem afflatu non bene conſtitutos inficiens & corrumpẽs. Cuius cauſa idem Paulus admonet, uti purgemus fermẽtum uetus, nc ipſum uel quamlibet modicum totã corrũpat maſſam. DID. *Nunquid huc etiam pertinet, quod in ſan-*

ctis

ctis Biblijs memoriæ proditum eſt? IR. *Quod?* DID. *Quòd Dominus olim noluerit filios Iſrael cum gentib. idololatris, quarum terram erant ipſi tranſituri, uel amicitias, uel fœdera, uel pacta, uel coniugia contrahere, ne uidelicet ab eis occaſionem fornicandi ſumerent.* IREN. *Huc maximè pertinet quod dicis. Atq; hinc eſt, quòd penè ſatius eſſe putem, & cōſultius, ut Concilium ſit in ciuitate quapiam hæretica, modo tamē ſit Patribus & tutum & integrum inibi degere: quàm ut ipſum coeat in urbe quadam catholica, quā ingreſſuri ſint, ac inhabitare incipiant hæretici.* DID. *Et huius, quod dicis, hoc in cauſa fuiſſe cenſuerim, quia non defuerint, qui uel ideo Synodos habendas arbitrati ſint in ea*

prouincia, in qua & hæreſes, & id genus aliæ cauſæ, propter quas Synodi habētur, uigerent, ut eo facilius extinguerentur errores, omninoq́ fortaſsis è medio tollerentur: quo antidoto & penè ipſis, qui uel hæreſi, uel alio id genus morbo laborarent, adhibitæ, notiores eſſent, & familiariores. Qua factū eſſe ratione augurantur, quòd toties Conſtantinopoli, Toleti, Lugduni, Arelati, Aphricæ, Carthagine, & Romæ apud Lateranū, habita ſint Concilia. IREN. *Et ego pariter in cauſa fuiſſe crediderim, uti uidelicet unius hæreſiarchæ, ſiue facinoroſi hominis alterius condemnatione, uulnera omnium iſtius cōplicum & ſequacium, incōuincibiles fidei catholicæ rationes intelligentium ſanarentur.* DID. *Faxint*

xint dij cœlites illi, ut id etiamnum ui deamus in hac Tridetina ciuitate, tot nũc modis ceu percõmoda rebus Conciliaribus probata. IREN. *Aliud tamen & in hac eadem ciuitate plurimum deſidero.* DID. *Illud quid eſt?* IR. *Quod hæc re omnium ſummè pro pemodũ neceſſaria planè careat.* DI. *Quare? dicitò.* IR. *Bibliothecis & templis, quibus eruditiores pro neceſſitate utantur: quando uix ſecũ deferre queant, quibus opus habent, omnes in hoc loci libros.* DID. *Demiror equidem, quòd Tridenti templa deſideras: quum uerear in ea totidem inuenturum te delubra, quot inuentum iri nolint nonnulli. Niſi enim fallor, templa Trideti ſunt numero* XV. *(ſecluſis interim domeſticis ſacellis) & magna*

 quidem

quidem ex parte ſatis ampla, magnifica, uetuſtate ueneranda, & omni denique religione digna. In primis enim templum illud eſt Tridenti Cathedrale, quod olim, nempe anno poſt Ieſum Chriſtum, mundi Seruatore natum, CCCLXXXIII. *diuus Uigilius martyr, &* XVIII. *Tridentinorum Epiſcopus, in ipſa urbe Tridentina apud forum erexit, & diuis Geruaſio et Prothaſio dicauit: quod deinde Tridetini Uigilio ipſi ſanctiſſimo ſuo Epiſcopo, quū paulo antea nomine Ieſu, & eius manētis in æternū uerbi, martyrium conſtanter in lapidatione pertuliſſet, mutato nomine, concorditer conſecrarunt: eiq́ in eodē templo, quod is ante diuis Geruaſio & Prothaſio dicauerat, arā erexerunt, quam deinde Hil-*

degarius

degarius Epiſcopus Tridenti XLIII. *circa annum Domini* DCCCIII. *renouauit. Deinde templa ſunt parrochiarum tria, S. Petri, S. Mariæ, S. Magdalenæ: itéq; S. Martini, S. Eliſabetæ, S. Margaretæ, S. Benedicti. Itémq; templa cœnobiorum, S. Marci, S. Frãciſci, S. Bernhardi, S. Crucis: itémq; S. Trinitatis, & S. Claræ templa. Hæc nimirum delubra, ſine ſacellis domeſticis, memoriæ nunc meæ occurrũt. Atq; ſane puto illa multis hominum millibus ſufficere, etiamſi quotidie, ſingulisq; diebus ea ſubingrederentur, cum duobus iſtis hominibus, qui Hieroſolymis in templum, ut orarent, aſcenderunt.* IREN. *Et quid opus eſt etiã tot Concilio templis, quando nuſquam non adorandi ſit locus?*

quum Deus ille Opt. Max. ſpiritus ſit, ubiq; exiſtes: ſua maieſtate cœlum & terram, & quidquid utrobiq; eſt, complens? ſiquidem Pater in ſpiritu ſit & ueritate adorandus, nec ullo lòco circunſcriptus. DID. *De bibliothecis idem quod de templis cenſuerim. Quum enim Dn. Chriſtophorus ille Madrutius, Antiſtes, idemq; Princeps ter maximus Tridenti eruditiſsimus ſit, & doctiſsimus, haud ſanè dubitauerim, quin ipſe talẽ habeat omnibus, non ſibi ſoli paratã bibliothecam, & ita omnigenarũ facultatum libris; & hiſce quidẽ exquiſitiſsimis & excellentiſsimis refertam et inſtructam, ut illi facile ceſſurã fuiſſe putem illam quæ fuit in Aegypto Alexãdriæ bibliothecam, à Ptolemæis Regib. quondam*

dam uel conquiſitam, uel confectam. Nec prætereà dubium eſt, quin etiam Canonici Tridentini, Eraſmus præſertim ille Strenbergius, ſuas habeant bibliothecas. IREN. *Sed ſibi habent, non alijs.* DID. *Quid ſibi? nunquid eius immemores ſunt illi, quod Sapiẽs ait: Deriuentur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas diuide? Sanè nemo ſibi ſoli natus eſt, ſed mãdauit unicuiq; de proximo ſuo Dominus. Inſuper nil dubij eſt mihi, quin quorum interfuit ad Conciliũ uenire, penes ſe libros habeant, quos ſibi profuturos exiſtimarunt.* IREN. *Illud equidem pariformiter autumo. Sed quid tandẽ ulterius in hac Tridentina ciuitate, quod illi ad res Conciliares neceſſarium eſſe queat, deſideras?* DID. *Quòd urbs*

Tridentina non in ea terrarum parte ſita eſt, quò pleriſq; omnibus ex quacunq; orbis parte conuenientib. æquè propinquus, aut ſaltem non ſit aditus difficilis. IREN. *Vecordis eſſe iudicij & ingenij, mathematiceſq; prorſus ignarum te puto, qui ſic cenſes. Nam dicas oro tu mihi, quis uſpiã ſitus poſſit loco Tridentinæ ciuitatis eſſe ad res gerẽdas opportunior? qui tam Italos, quàm Germanos, inter utramq; gentem medius amplectitur, & hoſpitib. (ut antea dixi) ex diuerſis terrarũ nationibus aduenientibus & tranſeuntibus tam cõmodè pateat, omneſq; tam benignè hoſpitio excipiat?* DI. *Quod de incõmodo Tridentinæ ciuitatis ſitu retuli, non utiq; ex meo, ſed aduerſariorum iudicio dictũ eſſe putes uelim.*

Cæterum quiritantur iſti quoq; de loco hic, propter hoſtes ubiq; tumultuantes & graſſantes, haud ſatis tuto, deq; ciuitate nō ſatis munita. IREN. *Ut ſentio, timent iſti ne cœlū ruat. Quærant ab architectis ipſi, & ex eis inter primos Victruuiū & Vegetium, an hæc Tridentina ciuitas arte minus ſit et natura ſic offirmata, ut hoſtes poſſit aut ſuſtinere, aut repellere: nimirū nec inſidijs, nec ictibus bombardarum prorſus expoſita: nec omnino mœnibus, nec muris, nec turribus, nec propugnaculis contra quoſcunq; hoſtium impetus & inſultus carens. id quod hæc ſacroſancta Synodus pro ſingulari ſua prudentia non diſsimulauit, Regi Gallorum Heinrico, huius nominis primo, ad proteſtatrices ipſius literas*

neſcio

neſcio quales reſpondens, & inter cætera de eius Epiſcopis et Prælatis alijs in hæc uerba loquens: Nam quòd acceſſus parum illis tutus eſſe huc uidetur, propter bellicos uidelicet motus: hac excuſatione minimè licet Epiſcopos uti, qui nec bello domi continẽtur, & in locum quietum & pacatum, et omni tumultu uacuũ, ad Concilium uocantur, ut tuto itinere illuc peruenire poßint. Addo, quòd ita ſibi hæc Tridẽtina ciuitas omni ex parte montium fauces, ualles, uiarumq; paßim anguſtias, natura præter artem diſpoſitas habeat, ut ex eis (niſi per dolos nimium ſubtiles aſtuta proditio interueniat) homines mille propulſare, et quidem non tam bombardis & tormentis, quàm mißilib. ſaxis & lapidibus,

uirorum

uirorum decẽ millia poſsint. Non eſt igitur, mi Didyme, quod iſti de ciuitate Tridentina, perinde loco Conciliari non ſatis commoda, querantur, cum ſic (uti uides & audis) illa cunctas fermè percommodæ ciuitatis ad Concilium conditiones habeat: ut nemo facilè poſsit illã, hac dubia præſertim tempeſtate, cum ratione ceu minus idoneam declinare: maximè cum literæ ſecuritatis, quas ſaluum conductũ nuncupare conſueuerunt, omni prorſus exceptione maiores accedant. DID. *In tuam ſanè ſententiam non addubito prudentiſsimos & iuſtiſsimos quoſque manibus pedibusq́ ituros, nec iſtos aliud quàm cruenta bella & prælia moliri.* IREN. *Ualeãt, qui inter nos diſsidia toties quærũt, ab amicis diſcedere*

dere occaſionem quærentes, quum ſat Chriſtiani ſanguinis ſuper terram, eorũ ſuaſu profuſum ſit: atq; ideo Deus ille bellator omnipotens exurgat, & diſsipet gẽtes, quæ bella uolunt. DID. *Maledictione digni quidem, qui benedictionem toties præter omnem rationem aſpernati ſunt: uiſuri ſuo tempore, in quem trãsfixerunt.* IREN. *Non dubium. Sed quò colloquẽdo uenimus? dicendi finem faciamus: ſiquidem tempus, cuius incomparabilis eſt iactura, interpellat. Domum igitur abeundum eſt, quoniam ſol occidit, ipſéq; ueſperugo refulget.* DID. *Adlubet & mihi, ut finem loquendi faciamus: ita tamen, ut cras oriente Lucifero (ſi Deus annuerit) denuò conueniamus, de eo quod ſupereſt, dicturi.*